R. BIBLIOTECA NAZIONALE CENTRALE V. E. II ROMA
1
7 F
31

1-7-F-31

DE INSTRVMENTIS SCIENDI

HIERONYMI PROVENZALIS NEAPOLITANI PHILOSOPHI, ET MEDICI:

POSTERIORVM LIBRVM NEAPOLI publicè profitentis: tractatus.

IN QVO TOTA DE DEMONSTRATIONE Doctrina, ab Ariſtotele habita, continetur,

Ad Amplisſimum Cardinalem Carrafam.



BIBL. V. E. ROM.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Cum licentia Superiorum.
NEAPOLI
Apud Ioſephum Cacchium. MDLXXV.

IOANNES BERARDINUS
Longus Philoſophus Neapolitanus.
Hieronymo Prouenzali ſuo S.D.

ERGO uerò mi Hieronyme quàmuis eam de te ſpem ſemper conceperim, eumq́; te exiſtimauerim, qui pro tuo ingenio, & elaborata doctrina; omnibus charus eſſe poſſis; Nunc tamen, cùm tuum lepidum nouum logices libellum uiderim, & incredibili delectatione perlegerim, adeò ſum lætatus, ut qui maximè. Nam cum ea, quæ multò iam antè de te futura dixiſſem, nunc certiſſimo argumento demonſtres, facere aliter non poſſum, nec omninò ſecus debeo, quin libelli tui leporem, & ſententiarum acumen ſummis efferam laudibus. Amo ſuauitatem, eruditione delector; & cùm uarietatem, pulchritudinem, ordinemq́; contemplor, omnium maximè raram illã facilitatis cùm breuitate concordiam amplector, & Veneror; qua quidem Ariſtotelis innumera ferè loca explicueris, quæ Delio (ut aiunt natatore in-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

gere uidebantur; de quibus, ſcribam, quod ſentio, eſſe in tuo libello ita ex amuſſim multa illuſtrata, ut liuorem quidem nullum, inuidiae uerò plurimum, & immortalitatem certiſſimam ſint ſubitura. Debebit enim huius qualiſcunq; ſeculi iuuentus omnis. Cùm multa hinc indè ſparſa & confuſa, in ſuum quaſi naturalem ordinem redegeris; tuoq; ſtudio illuſtraueris, & ampliora redideris. Perge igitur & in hoc ſtudium toto pectore incumbe, ut totum logicum negotium tuo munere quandoq; aenigmaticam illam obſcuritatem; & Cymmerias exuat tenebras; Quòd ſi ultima primis reſponderint non dubito, quin hoc certiſſimè ſit futurum, ut quae amicis olim de te, uelu ti ad aures praeſagiebã, apertè tandẽ clarioribusq; ſermonibus manifeſtem. Nunc interim uideãt tantam de te conceptã ſpem, qualibus initijs fueris profecutus; ut, uel Momo Iudice diuinauerimus. Quod autem ad nos attinet mi Hieronyme hoc unum exiſtimes uelim, nos qui uirtuti debemus, tibi etiã tua uirtute debituros, Cui & opera, & induſtria tantũ praeſtabimus, quantum facultas noſtra ſinet; Ut nullam tui celebrandi nominis occaſionem, uel conciliandae colligendeq; beniuolentiae praetermittamus. Vale.

ILLVSTRISSIMO, ET
REVERENDISSIMO DOMINO
ANTONIO CARRAFAE S. R. E.
CARDINALI AMPLISSIMO, AC SI-
GNATVRAE GRATIAE PRAEFECTO
DIGNISSIMO.

HIERONYMVS PROVENZALIS
Neapolitanus: fęlicitatem.

PRINCIPVM, & ſanè Illuſtrium, omni quidem tempore uſus obtinuit, Princeps amplisſime, ac noſtrae Ciuitatis ſplendor, & gloria, ut ij, propter uirtutum decus, literarum fautores ſeſe preberent: eosque qui ſectantur eaſdem perpetuo tuerentur: Quae enim ſtudiorum ratio tanti eſſet, nomenque eruditorum ſublimius quam cætera euolaſſet: niſi cultores uirtutum quaſi ſidus matutinum, & fulgor æthe-
reus

reus, præclarorum gratia illuſtraſſet? Tanto etenim, quæ ſumma ſunt tolluntur erectius, quanto heroum auræ dexterius aſpirarint. Quod, ſi ita tu mihi, ut cæteris cæteri affatim præſtiteris, eris mihi portus, atque refugium; & tu, qui in ampliſſima fortuna uerſaris, quæ ad tantum uirum ſpectabunt, perfeceris; & ego tuis beneficijs poſteriora omnia ponam. Nulli autem mirum eſſe debeat, quòd te ante omnes alios meum Mæcenatem aſſumpſerim, ſtuduique potius capere laudem tuam, qui tantus es, quàm pleniſſimam à quocunque mortalium. Nam, dum de noſtro decore agetur; cuius fidei, & auctoritati tutius noſtrum patrocinium poterit eſſe commiſſum, praeter quàm, tibi? ob id igitur effectum eſt, ut has tibi lucubrationes, inſcriberem. Tibique quem omnes propter magnitudinem, dignitatem, uitae ſanctitatem, omniſque ſcientiae culmen admirantur dicarem. Unus enim es tu, inter caeteros praeſtantiſſimos, qui purpurati eſtis, dignus ad pontificiam maieſtatem, & quem thiaras Petri ornaret decentius. Quare optimè actum erit mecum, ſi ſub alas tui

patro-

patrocinij euolabo. Suſcipe igitur hilari fron te mearum uigiliarum labores, quos ſi tibi mi nimè diſplicere ſentiam, ad maiora memetip-ſum acingam.

AD LECTOREM PRÆFATIO.

EA fuit mortalium omnium conditio, vt non ſibi : quiſq; naſceretur, & viueret. Quinimò tanto clarius eſſe à ſummo opifice allcui tributum cenſendum, quanto is pluribus prodeſſet, ſic enim Dei ſimilitudinem præſeferet. Illuc tetenderunt, qui illuſtri admodum ſcientia decorati pleniſſimè ſtudioſis in qua vis arte profuerunt hominibus. Quo namquè modo noſtrorum animorum munimenta conſtarent; quoue præclarius quàm cæteri viueremus; niſi eos tanquam naturæ munus æternum haberemus in promptu? Ex eorum etenim nec vnquàm exauſto fonte, additis noſtri ingenij viribus, tantum nobis haurire licebit, quantum ſat erit ad humanæ beatitudinis dignitatem. Eò, à vitæ noſtræ primordio intendebat animus: ad id tanquàm ad metam fœlicitatis inſpexi: & diuino iam munere inuitatus ſtudio, & ſudore non pœnitenda peregi. Namquè cum multis annis publicè in Neapolitano gymnaſio poſteriorum librum

enodauerim,cumquè in exponendis textibus,in abſtruſas Philoſophi ſententias de medio termino demonſtrationis potiſſimæ,& de altero inſtrumento ſciendi inciderim: de quibus grauiſſimos authores diſſentientes proſpexerim; opere pretium me facturum duxi, ſi de vtroque quid ſenſerim,ad communem omnium vtilitatē in publicum ediderim:ſic enim aliquibus prodeſſe cogitaui:vt de talento,& ſi minimo iuxta mei intellectus capacitatem à domino gratis mihi tributo aliquid ſuperlucratus videar. Quod libentius effeci, vt Ampliſſimo Cardinali Carrafæ candidatorum monacorum Montis Oliuiferi protectori euigilantiſſimo morem geram: ipſi etenim, cum hæc eadem apud eoſdem monacos, eius iuſſu profiterer,rem gratam fore ſignificatum fuit. Tu verò candide Lector ſi paſſim meas ſententias opinionibus grauiſſimorum authorum contrarias reperies; boni conſulas:id enim non animo contradicendi effectum eſt,ſed vt meam proferam ſententiam nulli addictus, ex intimis penetralibus Philoſophi tantum depromptam,quam tu æqua lance librando veriſſimam (vt ſpero) exiſtimabis. Volui autem de inſtrumentis ſciendi hoc opus inſcribere, in quo tota de demonſtratione doctrina in libris poſteriorum habita continebitur: ſic enim malui ipſam tractare, quàm ſigillatim textus exponere, à nullo ſiquidem hucvſque hoc modo de demonſtratione doctrinam traditam repery: cum non defuerint ſexcenti cuiuſque claſsis viri, qui textuum expoſitionem agreſſi ſint:habebis inſuper

quid

quid ab Ariſtotele in ſecundo libro poſteriorum̃ tractetur, & num definitio ſit inſtrumentum ſciendi diſtinctum à demonſtratione. Nec expectabis concinnæ orationis leporem, cum iuxta Ciceronis ſententiam res Philoſophicas nimis ornatè dicere puerile ſit; vtcunq; verò citra liuorem, & iuditiosè, ad legendum accingaris oro:

DE INSTRVMENTIS SCIENDI.

HIERONYMI PROVENZALIS NEApolitani, Philoſophi, & Medici tractatus, in quo tota de demõſtratione doctrina Ab Ariſtotele in libris poſteriorum habita, continetur.

AD AMPLISSIMVM CARDINALEM CARRAFAM.

Demonſtrationem, omnium conſenſu, eſſe inſtrumentum vnum ſciendi, Cap. I.

TANTI, fuit apud veteres, ſcientiarum ornatus: ad quas, inſito quodã naturali deſiderio, homines propelluntur, & quibus, anima noſtra, veluti alteram animam ſumens, perficitur, & expolitur: vt non immeritò, priores Philoſophi doctos, ab, indoctis, vt viuos, à mortuis, differre cenſuerint: Qua de re, circa illas adipiſcendas, omnibus viribus inſudarunt, ac circa modum, & inſtrumentum, quo illæ acquiri poterint, quàm maximè elaborarunt, vanumq; ſemper exiſtimarunt, ſcientias quærere, neglecto modo ſciendi. Quinimo, qui ad ſcientias capeſſendas, ſine certa norma, & regula earundem acquirendarum accedunt, fruſtra laborare, & tandem, ſemetipſos odire exiſtimandum cenſeo. Quippe cum intellectus, ſua

primordia ſequens, ac ſui natura imperfectus, ſine arte diiudicandi verum, à falſo, vel rationem deprauatam, ſemper ſequeretur, vel μισόλογον, ideſt rationum oſor, tandem fieret: vbi enim, rationem aliquam veram exiſtimarit, ſine verarum rationum dignoſcendarum arte, eamq; poſtmodum falſam, re ipſa deprehenderit, atq; alteri, temere adheſerit, quã poſtea rurſus falſam eſſe cognouerit, atq; ita ſæpius fecerit, in eam confuſionem incidet, vt meritò, rationum oſor efficietur, tantumq; rationes odio proſequetur, vt nulli acquieſcens, nihil, poſſe ſciri, tandem contendet. Quod longè ſecus accidet ei, qui verorum ſciendi inſtrumentorum artem, optime callebit. Hic enim, vera methodo procedens, abſtruſa, atq; occultiſſima quæſita, ita enodabit, vt verum habitum ſcientiarum, quo anima noſtra ita exornari ſolet, vt Dei ſimilitudinem præſeferat, ipſum adeptum, omnes exiſtimabunt. Quæ verò ſint hæc inſtrumenta, quæ ſcientiam pariunt: Omnes vnanimiter, ſyllogiſmi illam ſpetiem perfectam, quam demõſtrationem appellarunt, vnum eſſe inſtrumentum dixere. Circa aliud autem, tanto magis diſſentiẽtes, ac diſcordes fuere, quanto circa primum conueniẽtiores: Diſſentionis autem origo fuit, ex Ariſtotele in
Tex. 8. primo Poſter. qui, poſtquàm ſuppoſuit, eſſe per demonſtrationem ſcientiam, ſubdidit: ſi eſt alius ſciendi modus, poſterius dicetur. Hic locus, anſam dubitandi dedit grauiſſimis expoſitoribus: quippe cum in ſecundo tractatu libri poſteriorum, de diffinitione verba faciat: hanc, alterũ ſciendi modũ dixere. Alij verò, topicum ſyllogiſmum; alij, demonſtrationis illam ſpetiem, quæ ab effectu procedit: alij verò modum, quo prima principia cognoſcimus, inſtrumentum

tum aliud, dxere; nec defuerunt, ſuæ cuiuſq; opinio nis rationes, quas omnes perpendendo, ad veram Philoſophi ſententiam accedere (vt ſpero) conabor Interim quid, de demonſtratione, eiuſq; ſpetiebus, Ariſtoteles ſentiat: quotq; ſint ipſius conditiones: quidue, de ipſius medio arbitrandum, explicare incipiam; Poſterius verò, vt ipſius Philoſophi ſequar ordinem, ad alium ſciendi modum tranſibo.

DE DEMONSTRATIONE, eiuſq; ſpetiebus, Cap. II.

Demonſtrationi, veteres Philoſophi, tanquam vero Inſtrumento, ad ſcientias capeſſendas, palmam dedere: eſt etenim ſcientia habitus concluſionis, per demonſtrationem acquiſitus: quæ, cum ſpecies ſyllogiſmi perfectiſſima ſit, & ob quam, primaria intentione, de ſyllogiſmo habitus fuit ſermo, dicente Philoſopho in principio libri priorum: Primum, dicere circa quid, & cuius intentio: quoniam, circa demonſtrationem, & demonſtratiuæ diſciplinæ; ſed quoniam demonſtratio eſt ſyllogiſmus: Prius abſoluit tractatum de ſyllogiſmo. Hinc dixerim, vnum eſſe opus priorum, & poſteriorum; tum quia, vna intentio proponitur in proæmio libri priorum, eademq; in fine ſecundi poſteriorum epilogatur; tum, ab eadem inſcriptione: vterq; enim tractatus, reſolutiuus inſcribitur: tum etiam, ab vnitate rei tractatæ: De demonſtratione enim tota, in vtroq; libro tractatur: de forma nempè, in libro priorum, quæ, eſt modus, & figura, in qua ipſa conſtituitur: &, de materia, in libro poſteriorum, quæ, ſunt

Tex. pri.

Tex. 103.

ſpecies pręmiſſarum, earumq; conditiones, & attributa, à quibus ſumitur diſtinctio ſpecierum ſyllogiſmi: Nec, alicui faceſſere negotium debet, quod, à materia ſumatur diſtinctio: ſumus enim in accidentibus, & inſtrumentis intellectus: in quibus iure, à materia, debet ſumi omnis diſtinctio, cum; ipſa ſe habeat vt differentia: in genere etenim, quod ſe habet vt forma, cōmunicant potius, quàm differant: vt habetur ſeptimo Methaphi. exemplum, eſt Philoſophi

Tex, 14.17 ſecundo Phiſic. de ſimitate, quæ, in curuitate, quæ, eſt forma comunicat cum alijs curuitatibus, quæ, ſimitates non ſunt: à naſo verò, omnis diſtinctio ſumitur: Nec, debet etiam obſtare, ſyllogiſmum, non ſolum, demonſtrationis formam eſſe: ſed aliarum ſpecierum: Nempè, Topici, & Sophiſtici: Cum primaria (vt dictum eſt) intentione; ad demonſtrationem conſtruendam, ipſe ordinatus ſit: vt verba Philoſophi teſtantur. Cæteræ enim ſpecies, ob demonſtrationem ſunt tractatæ: Probabilibus enim rationibus, vel, ante ſermones demonſtratiuos, ad inueniendum, vel, poſt, ad conueniendum, vt voluit Cōmentator Auerroys, vtimur. De ſophiſticis vero, nō ad vſum, ſed ad fugam, vt Medici de venenis: ad euitandum enim ſophiſticas importunitates tractatum fuit.

Cæterum, de demonſtrationis ſpetiebus tractatui non Illud impedimento eſſe debet, quod cum, ex prius notis, ipſa demonſtratio faciat doctrinam, abſurdū, forſan putaretur, ſicut antiquis viſum fuit, idem ſciri, & neſciri: hoc enim, tantum ab abſurditate abeſt, vt impoſſibile ſit, aliter acquiri ſcientiam: omnis namq; doctrina, omniſq; diſciplina intellectiua, ex, pręexiſtē ti fit cognitione: ſic namq;, quæ vis ſcientia ſpeculatiua, & ars operatiua acquiritur, ac quælibet inſtrumē

ta

ta ſcientias, & artes pariunt. Eſſet benè abſurdum; rem, ea parte, qua ignoratur, eadem ſciri, & è cō tra: ſed ſciri in potentia, & in vniuerſali, antequàm, ſimpliciter ſciatur: ſicuti demonſtratio notum facit, neceſſarium eſt. Reſultant autem tres demonſtrationis ſpecies, tum, ex quæſiti; quod enucleant; tum, ex Medij termini diuerſitate: Ex quæſito; quod eſt propria paſſio, de ſubiecto, de ipſa enim demonſtratiuum quæſitum formatur. Nam, vel, quæritur eſſe paſsionis, vel cauſſa ipſius, vel vtrumq; ſecundum quod his modis, ignota eſſe poterit, ex quo, tres tantum, conſtituuntur ſpecies demonſtrationis, & hæc diuerſitas, à fine ſumitur: finis enim, qui per demonſtrationem acquiritur, eſt ſcientia quæſiti naturaliter ignoti, quod eſt de proprio accidente, quod, paſsio à latinis appellatur. Et cum hoc accidens, diuerſimode ignotum eſſe contingat, diuerſæ reſultant ſpecies demonſtrationis: de quibus ſigillatim tractandum eſt: ſed prius videndum eſt, quam ob cauſſam, demonſtratio: accidens tantum notificet, & non ſubſtantiam? Pro quo ſciendum, per demonſtrationem, mediatorum tantum, & eorum, quæ cauſſam habent, eſſe ſcientiam: ſi quidem primo poſteriorum *Tex.* 21. vult Philoſophus; immediatorum; eſſe ſcientiam, ſed non per demonſtrationem: & ſcire demonſtratiuum, eſſe rem, per cauſſam cognoſcere: & cum partes ſub *Tex.* 7. ſtantiales ad inuicem vniantur, ſine cauſſa; & ſine medio; in eodem enim genere ſunt: & ſubſtantiales differentiæ; ſine cauſſa & immediate; cadant ſupra ſpeciem: meritò per demōſtrationem ſciri nequeunt. At accidentia; cum ſubiectis inhereant; in diuerſóq; predicamento ſint accidentia; & eorum ſubiecta

cta, ipſiſq; vniantur, per cauſſam, & medium; ex principijs enim ſubiecti, propria accidentia fluunt, & per eadem vniuntur, & cognoſci debent, vt dicemus inquæſito de medio termino demonſtrationis potiſsimæ: idcirco, propriorum tantum accidentium ſunt demonſtrationes. Cumq; quæritur eſſe paſsionis, vel cauſſa ipſius: ad hæc enim duo quæſita, omnes quæſtiones reduxit Philoſophus in ſecundo Poſteriorum ſi contingat, vtrumq; eſſe ignotum: demonſtrationis, illa ſpeties, ad hoc dirigitur, quæ ſimpliciter, vel potiſsima demonſtratio appellatur; hæc enim eſt illa, quæ vno examine, vt lucidiſsimus Themiſtius habet, vtrumq; quęſitum abſoluit. Quòd, ſi notum ſit eſſe accidentis, ſeu paſſionis: ignota autem ſit eius cauſſa, altera reſultat ſpeties, quę demõſtratio quia, vel ab effectu nuncupatur: & cum, hac via nobis innata, eſſe cauſſę fuerit notificatum, ſed ignotum erit propter quid effectus, ideſt, vtrum illa cauſſa, ſit, propter quam effectus eſt: hoc, tertià ſpetie demonſtrationis, quę propter quid appellatur notum facimus, & hic eſt vnus modus à fine ſumptus; quo trium ſpetierum demonſtrationis diſtinctionem cognoſcimus. Alia via eſt, ex medij variatione; cum enim, demonſtrationis medium (vt infra declarabitur) notiſſimum eſſe debeat, id autem, quod notum eſt vel nobis, vel, naturæ, intelligitur eſſe notum, ex cuius complicatione, tres tantum reſultant ſpeties, nec plures, vel enim contingit, medium eſſe nobis, & naturæ notum, & ex hoc, demonſtrationis illa ſpeties, quę ſimpliciter, & potiſſima dicitur, conſtituitur: & cum hoc raro contingat, ob id Themiſtius grauiſsimus expoſitor dicebat, hanc demonſtrationis ſpetiem, non ſe ſummicti captui ingenij noſtri. In Phi-

Cap. pri.

ſicis

ficis enim,& Methaphiſicis impoſſibile eſt, idem eſſe nobis, & naturę notum: In Mathematicis autem, vtrum aliquando contingat, non eſt preſentis ſpeculationis. Quòd ſi medium erit nobis notum, naturæ verò ignotum, altera conſtituetur ſpecies, quæ demonſtratio quia, vel ab effectu appellatur; qua, vt plurimum in naturalibus vtimur; cum innata ſit nobis via, ex nobis notioribus procedere: ſi verò mediũ ſit naturæ tantum notum, nobis verò ignotum, ſicuti cauſſa ſolet eſſe, tertia reſultat ſpecies, quæ demonſtratio propter quid, vel cauſſę nomen ſumpſit: & ſingulæ, duplex ſortiuntur nomen, tum à quęſito quod enucleant, tum à medio per quod procedunt; ex medio autem nobis, & naturę ignoto, cum inartificio ſum ſit, nihil notificari poteſt; ideo non datur quarta ſpecies. Nec tibi faceſſere negotium debet, quòd à cauſſa, cum ſit nobis ignota, nihil artifitiosè, notificari poſsit: eſſet enim tantum naturæ relinquenda, cui nota eſt. Hoc ſiquidem, ita diluit Philoſophus in primo poſteriorum; quod licet, alterum, per alterum oſtendere, puta, cauſſam nobis ignotam, per effectum notificare: quę poſtea ita notificata, ad notificandum propter quid effectus, artificiosè retrocedit: & hæc, eſt illà reciproca demonſtratio, quæ diù grauiſsimos authores torſit. Non enim circulus, quẽ mordicus dextruxit Philoſophus primo Poſteriorum, committitur in hac, cum non ſit ad idem regreſſus, ſiquidem in prima; ab eſſe effectus noto, probamus eſſe cauſſę ignotum; de inde; ab exiſtentia cauſſę, ita notificata retrocedimus, ad propter quid effectus ignotum. Nec ſuperflua eſt hęc ſecunda eſtenſio; cum nihil aliud videatur eſſe propterquid effectus, quàm eſſe cauſæ habitum per primum proceſſum.

Tex. 97.

Tex. 22. vſq; ad 28.

Quan-

aliarum ſpecierum perfectiones menſurantur, & quoniam perfectiſsima, & certiſsima inter ſuas ſpecies eſt, meritò perfectiſſimam, & abſolutiſſimam ſcientiam parit, & idcirco ex perfectiſſimi ſcire conditionibus, eius conditiones educi, & tractari debent, tot enim debent eſſe conditiones inſtrumenti, quot ſunt conditiones finis, per tale inſtrumentum producti, & acquiſiti; ſic enim oſtendebat Philoſophus, dẽtes anteriores debere eſſe acutos, quia incidunt, cum ergo demonſtratio ſit inſtrumentum, per quod ſcire ſimpliciter acquiritur: ipſam enim appellabat Philoſophus συλλογισμὸν ἐπιστημονικὸν idest ſyllogiſmum ſcientialem, meritò, ex conditionibus ſcire, eduxit Philoſophus, & tractauit, omnes eius conditiones, quamobrem reſolutiuus, inſcriptus eſt tractatus, non enim ſolum ordine reſolutiuo, fuerunt inuentæ conditiones omnes demonſtrationis (quo modo quælibet ars conſtituitur) ſed etiam, quod tantum in hoc tractatu poſterioriſtico, ab Ariſtotele obſeruatum eſt, per conditiones finis fuerunt tractatæ, & probatæ ab ipſo: quatuor autem ſunt conditiones perfectæ ſcientiæ, quæ per demonſtrationem ſimpliciter deducitur; quarum duæ ſe tenent, ex parte rei, duæ verò ex parte noſtri; ex parte rei, vt cognoſcamus rem per cauſſam propter quam res eſt, & non poſſe aliter ſe habere: Duæ autem ex parte noſtri, vt cognoſcamus illius eſſe cauſſam, & non poſſe ſcibile aliter ſe habere, ad quam cauſſam inueniendam, & ſciendam methodo indigemus, de qua Ariſt. in ſecundo poſteriorum verba facit, vt poſtea dicemus: Conditionibus iſtius perfectæ ſcientię præpoſitis veluti vno cardine, alium proponit cardinem Philoſophus, ex quibus

Pri. poſt. Tex. 8.

iunctis, ad conditiones illius perfectiſsimæ demonſtrationis deſcendit, eſt autem alter cardo, quod tale ſcire cum dictis conditionibus eſt per demonſtrationem, ſupra quos fundat omnes conditiones demonſtrationis, donec ad illam præcipuam deueniamus quæ alias continet, nempè, quod demonſtratio debeat conſtare ex proprijs principijs, quam vltimò exequitur. Vnde infert ſi eſt ſcire, vt poſuimus, neceſſe eſt, demonſtrationem conſtare ex veris, primis, immediatis, prioribus, notioribus, cauſſisq; concluſionis, ſic enim erunt principia ꝓpria illius, quod demonſtratur: quaſi velit, omnes dictas cōditiones, manu ducere ad illam præcipuam, & maxime deſideratam conditionem, quæ alias continet, quod ſcilicet conſtet ex proprijs, ideſt propria dignitate, proprio ſubiecto, & propria paſsione, ad hanc etenim, finitur tractatus, de conditionibus præmiſſarum demonſtrationis, vnde hac habita conditione cum cæteris, nec inter eas inuenta cōditione idearum, quas volebat Plato eſſe neceſſarias, non ſolum, ad generationes rerum, ſed etiam ad ſcientias, intulit, valeant ergo ideæ, quia ſine ipſis, inſtrumentum illud ſciendi habemus. Sigillatim ergo vnamquamq; conditionem demonſtrationis examinando oportet eas per cōditiones finis, quod ꝓpriè reſoluere eſt, ꝓbare.

Tex. 81.

Et primo, neceſſe eſt, demonſtrationis præmiſſas, eſſe veras, quia, quod non eſt, non contingit ſcire, tunc enim de falſo haberetur ſcientia, quòd, per nō eſſe intelligitur, ab eo enim quod res eſt, vel non eſt, aliquod dicitur eſſe verum, vel falſum, & ſic, ſi præmiſſæ non eſſent veræ, ſed falſę, ex ipſis non niſi falſum concluderetur: nec obſtat, quod ex falſis quandoq; verum deduci poſſit: quandoquidem Philoſophus

loſophus ſecundo Prior. huic occurrens, dicit, verum, ex falſo quandoq; concludi quia eſt, non tamen propter quid, quod idem eſt ac ſi dicat verum ex ſui natura; quia verum eſt, ex quocumq; inferri poteſt, non autem ex falſo, vt ex ſua cauſſa: vt ſi inferatur equum eſſe hinnibilem, ex quo equus ſit rationalis & rationale hinnibile, concluſio erit vera, non tamen ex illis falſis præmiſſis, vt ex ſua cauſſa infertur, non enim illæ præmiſſæ, ſunt cauſſa, huius veritatis, cauſſa etenim veræ concluſionis, non poteſt eſſe niſi præmiſſarum veritas, & propterea demonſtratio ex veris debet conſtare; Nec ſufficit præmiſſas eſſe veras, ſed requiritur etiam ipſas eſſe primas, & immediatas, quod idem eſt, ac indemonſtrabiles, aliquod enim dupliciter dicitur eſſe primum: vno modo quod inter ſubiectum, & prædicatum illius præmiſſæ, non intercedat aliud ſubiectum medium, cui primo competat, vt homo riſibilis, vel triangulus habet tres, primæ, ſunt hæ propoſitiones, inter prędicata enim, & ſubiecta earum non intercedit aliud ſubiectum, cui primo competat, Iſocheles autem habet tres, & Socrates riſibilis, non ſunt primæ hæ propoſitiones, vtriſq; enim aliud intercedit ſubiectum, cui primo competant illa predicata, nempè Iſocheli, triangulus: & Socrati, homo: verum, & ſi illæ priores ſint primæ, non ſunt tamen indemõſtrabiles, cum vtreq; concludi poſsint per demonſtrationem, & hæc à latinis appellatur primitas ſubiecti, non cauſſæ, quæ proprie competit concluſioni, non negatur tamen pręmiſsis, ipſis enim competit hæc primitas, ſed nõ ſufficit, requiritur enim quod ſint primæ, adeo, vt inter ſubiectum, & prædicatum illarum pręmiſſarum, non ſolum, non mediet aliud ſubiectum, cui primo Cap. 2.

 compcta

competat, ſed nec cauſſa media: ſicuti homo eſt rationalis; & rationale riſibile, quæ cum careant cauſſa ob quam prædicatum ineſt ſubiecto, demonſtrari non poſſunt, Quam obrem primæ, & indemonſtrabiles debent eſſe. Cauſſa autem ob quam, talem conditionem debent obtinere præmiſſę demonſtratiuæ, eſt quia ſi demonſtrabiles eſſent, per alia principia, demonſtrarentur, & cum non detur proceſſus in infinitum, ad principia ignota deueniremus, nullo enim alio pacto ſciri poſſent, ſi demonſtrabiles eſſent, ſcire enim quorum demonſtratio eſt: eſt demonſtrationem habere, primæ ergo debent eſſe, & indemõſtrabiles, alioq; modo cognoſcibiles, quàm p demonſtrationem; Cauſſę quoq; concluſionis, debent eſſe præmiſſę, quod nihil aliud eſt dicere, quàm prę miſſas continere medium, quod ſit cauſſa; etenim non omnes tres termini, qui demonſtrationem ingrediuntur, cauſſę poſſunt eſſe, ſiquidem non paſsio, quę potius cauſatum, quàm cauſſa eſt: Non ſubiectum, de quo ipſa paſsio demonſtratur: ſed medium debet eſſe cauſſa: & ratio eſt, quia ſcire per demonſtrationem, eſt rem per cauſſam cognoſcere. Verum cum cauſſa (vt refert Themiſtius) ſit duplex, vera, per quam cauſſatum non ſolum infertur, & cognoſcitur, ſed etiam eſt: altera non vera, per quam aliquod infertur tantum, & cognoſcitur: dubitatur ſi medium debet eſſe cauſſa, quę cauſſa; vera, vel non vera? & cum cauſſa, alterius dicitur eſſe cauſſa, dubitatur etiam, cuius debet eſſe cauſſa in demonſtratione potiſsima, paſſionis tantum, vel ſubiecti, vel potius vtriuſq;? & cum cauſſa ſit multiplex, nempè formalis, materialis, finalis, & efficiens, quæ cauſſa debet eſſe? de quibus cum præcipui Ariſt. expoſitores,

ad inuicem digladientur, ob quod difficile ſit veritatem determinare, idcirco conſideratis prius conditionibus omnibus demonſtrationis: ſeiunctim de hac materia Quæſtionem agitabimus; ſic enim facilius dabitur aditus ad veritatem perquirendam: interim, alias conditiones percurramus.

Priores inſuper; & notiores debent eſſe præmiſſę, ipſa concluſione, priores inquam, quia cauſſæ, & prioritate naturę, ambæ: temporis autem prioritate, ſaltem maior; quia eodem tempore ſcitur concluſio cum minori, ſumpta ſub maiori, vt voluit Auerroys. Notiores autem debent eſſe, non ſolum quò ad naturam, ſed etiam quò ad nos, quod, tantum competit præmiſsis demonſtrationis ſimpliciter: eſt enim notius quo ad nos, naturæ autem ignotius, quod eſt ſenſui propinquum: naturæ autem notius, nobis verò ignotius, quod longinquum eſt à ſenſu, ſciuti eſt ipſum vniuerſale: cum ergo præmiſſæ debeant eſſe notiores, & quò ad nos, & quò ad naturam, non alio pacto poteſt hoc eſſe, quàm quod contineāt cauſſam ſenſatam; ex quo enim erit cauſſa, eſt nota naturę, cauſſa enim, vt cauſſa, naturæ notior eſt, ex quo autem ſenſata, nobis nota, Nec hoc Ariſtoteli contradicit, qui in primo Phiſicorum, totum oppoſitum videbatur ſentire, vbi voluit, vniuerſale eſſe nobis notius, ſingulare autem ignotius, ſiquidem, in expoſitione illius loci, ſatis clarè alias declaraui, quid Ariſtoteles intelligāt ibi per vniuerſale, ſicuti & iam ſolitus eſt, eundem locum exponere, diſertiſsimus Præceptor meus Ioannes Berardinus Longus, qui Neapoli per Multos annos publicè Philoſophiam profeſſus eſt, eamq; in ſuo candore reſtituit: Non enim ſentiendum in hac contradictione, vt Tex. 4.

Auerroys

Auerroys, qui volebat, Ariſtotelem in primo Phiſicorum, comparare cauſſas, cauſſis, adeo vt vniuerſaliores cauſſę, notiores deberent eſſe nobis, & propterea ſentiret Philoſophus, ab vniuerſalibus, ad minus vniuerſales, eſſe procedendum: hoc enim tantum à veritate abeſt, vt neſciã quo iure, per hanc rationẽ materia vniuerſalis, quæ materia prima dicitur, nobis notior, ipſa materia propria videatur eſſe: Cum materia prima, ex ſui natura, nullum actum contineat, & omnem cognitionem, à forma recipiat, & propterea voluit Simplitius, de mẽte Platonis, ipſam adulterina cognitione cognoſci, & potius per eius ignorantiam, reſtat ergo, quod per vniuerſale magis, Ariſtoteles, vniuerſales illas quæſtiones intelligat, quas de principijs abſoluit. Nempè nobis diuidentibus illas, fiunt nota principia, vt vtrum ſint vnum, vel plura, & ſi plura, vtrum finita, vel infinita, & ſi finita, contraria, vel non contraria, hæc enim erant vniuerſalia illa confuſa, & hoc pacto exponendo nulla eſt cõtradictio in dictis Philoſophi; ſiquidem in hoc loco, per vniuerſalia, intelligit illa quæ ſunt longinqua à noſtris ſenſibus: ob quod, iure ſunt nobis ignotiora, cum omnis noſtra cognitio ortum ducat à ſenſu, in primo verò Phiſicorum per vniuerſale intelligebat vniuerſale illud vagum, & confuſum, quod cum plura contineat ſub ſe, ſe habet, vt quodã totum & ꝓpterea nobis notius, ſicuti notius eſt, vtrum principia ſint vnum, vel multa, quã vtrum finita, vel infinita: hęc enim quæſtio eſt ſubdiuiſio ſecundi membri primæ quæſtionis, illa enim accedit illi maximo principio, de quolibet dicitur eſſe, vel non eſſe, & ſic nulla contradictio. Hic ergo vult Philoſophus, quod principia, debent eſſe notiora,

non

no ſolum quo ad nos, ſed quo ad naturam: continet enim cauſſam, quæ vt cauſſa, vniuerſalis eſt, & naturæ notior; & cum hoc, debet eſſe ſenſata, & propterea, nobis notior; ſed cauſſa, ob quam notiora debent eſſe principia, ipſa concluſione, eſt, quia cum principia domonſtrationis ſint propoſitiones immediatæ, ſiue ſint dignitates, ſiue poſitiones, vel ſuppoſitiones, propter ipſa generatur cognitio concluſionis, & propter quod, vnumquodq; tale, & illud magis, ſequitur, non ſolum illas præmiſſas eſſe notiores, ſed magis ſcitas; ſiquidem melius diſpoſiti ſumus, circa cognitionem principiorum, quàm circa cognitionem concluſionis: eſt enim magis ſenſata congnitio principiorum, quæ facit meliorem diſpoſitionem, cum derelinguere ſenſum propter rationem, ſit imbecillitas intellectus. Nec propterea, quia notiores debent eſſe præmiſſæ, in errorem antiquorum incidere debes, qui ignorantes alium modum ſciendi, quàm per demonſtrationem, cuius principia cum nota debeant eſſe, nec per alia principia, quia non datur proceſſus in infinitum, ad principia ignota deuenientes, ex quibus aliquid notificari non poteſt, è medio ſcientiam ſubſtulerunt. Quod alij volentes reſarcire, annuentes nihil ſciri niſi demonſtratione, cuius principia, cum nota debeant eſſe non ex alijs principijs innoteſci putant. Sic enim vel in infinitum erit progreſsio, vel ad ignota principia, quorum vtrumq; abſurdum putantes, circulo omnium poſſe eſſe per demonſtrationem ſcientiam aſſerunt: per concluſionem enim ex principijs notificatam, ad ipſa notificanda, retrocedi volunt; quorum vtraſq; opiniones tamquam abſurdiſsimas, reiicere debemus; ac ad Ariſtotelis aures primorum ſcilicet prin-

cipiorum

cipiorum demonſtrationis, eſſe ſcientiam, ſed non per demonſtrationem, aſſerendum putamus; & propterea, dubitatiuè, ab Ariſtotele propoſitum fuerat; ſi eſt alius ſciendi modus poſterius dicetur: antiqui enim ignorabant alium ſciendi modum; & propterea inciderunt in dictos errores: hic eſt ergo alius ſciendi modus, quo prima principia cognoſcimus, de quo, cum Ariſtoteles, intendat poſterius verba facere, & nos eumdem ordinem ſpectantes, poſt tractatum ipſius demonſtrationis, de hoc alio modo ſciendi tractabimus. Sed quod circulo, impoſsibile ſit, omnia demonſtrare, tribus rationibus oſtenditur: primo, quia alter proceſſus, ille ſcilicet, qui à conclusione, ad principia oſtendenda procedit, non erit ſimpliciter demonſtratio: ſecundo nec ſyllogiſmus, cum ſic, idem per idem oſtenderetur. Tertio, ad hominem, nec omnium poſſet eſſe, cum non poſsit fieri, niſi in conuertibilibus terminis, pauci autem ſunt tales: quare prima principia, nec circulo, neque per demonſtrationem oſtendi poſſunt, ſed ipſorum alter debet eſſe modus ſciendi.

CONDITIONES ALIAE, DEMONſtrationi ſimpliciter magis intimæ, examinantur. Cap. IIII.

CÆterum, aliæ requiruntur conditiones, ad demonſtrationem conſtruendam, quæ cum magis ad proprietatem accedunt, ipſi magis intime exiſtunt: inter quas, hæc præcipua erit, quod predicata, & ſubiecta præmiſſarum, ipſius demonſtrationis, ſint ad inuicem per ſe, & eſſentialia, id

eſt

eſt, quod vnum, in alterius diffinitione ponatur, ex hoc enim ad proprietatem præmiſſarum deſcendemus; medium autem ad hoc oſtendendum erit, præmiſſas debere eſſe neceſſarias, quod etiam, ex ipſius ſcire conditionibus educitur, & conſideratur: ex quo enim illud, quod ſcitur, non poteſt aliter ſe habere, neceſſarium debet eſſe; hoc enim pacto, ex ſecundo perhyermenias, impoſſibile, ad neceſſarium conſequebatur: contrario enim modo ſe conſequuntur, vt quod non poteſt non eſſe, impoſſibile ſit non eſſe, & quod impoſsibile eſt non eſſe, neceſſarium ſit eſſe, cum ergo ſcibile neceſſarium debeat eſſe cum non poſsit aliter ſe habere, nec poſsit ſciri eſſe neceſſarium, niſi ex cauſſa neceſſaria, neceſſariæ, ergo debent eſſe præmiſſæ, & cum ſint neceſſariæ, erunt de omni, per ſe, & vniuerſales, hæc enim continentur inneceſſario. De omni autem erunt, cum prædicatum, omni inſit ſubiecto, & ſemper. Per ſe autem, cum vel prædicatum inſit in diffinitione ſubiecti, vel ipſum ſubiectum, in diffinitione prædicati: his enim tantum duobus ſignificatis per ſe, demonſtrationis præmiſſæ inſigniri debent, quorum primum, minori propoſitioni demonſtrationis deſeruit; ſecundum verò maiori, & concluſioni, in his enim accidens proprium de ſuo ſubiecto prædicatur, in illa verò propria differētia eſſentialis, quæ mediū in demōſtratione potiſsima debet eſſe; nec obſtat, quod in maiori propoſitione paſsio de medio prędicatur, & nō de ſubiecto, in cōcluſione etenim, paſsio de ſubiecto p̄dicatur, & ſic videtur, quod maior nō ſit ꝑ ſe, cum in diffinitiōe paſsionis, nō ponatur mediū nec in diffinitone medij paſsio, hoc enim ita diluitur aſſerēdo ſcilicet, ī medio, implicitè īcludi ſubiectū quod

habita demonſtratione explicatur, & ſic in diffinitione paſſionis ponitur ſubiectum, quod includitur in ipſo medio implicite, & ſic dicitur eſſe per ſe, nil aliud etenim eſt dicere rationale eſt riſibile, quam ſubiectum in rationali incluſum eſt riſibile, quod poſtea in minori explicatur, dicendo homo eſt rationalis, & tunc concluditur, riſibile, eſſe in homine, vt in ſuo proprio ſubiecto. Vniuerſales etiam debent eſſe præmiſſæ, cum vltra prædictas conditiones, de omni ſcilicet, & per ſe, inquantum ipſum eſſe debent: idem eſt autem inquantum ipſum, & per ſe, nec aliter differunt, niſi habitudine; in quantum ipſum etenim dicit habitudinem ſubiecti, perſe autem, prędicati: ad hoc autem, vt nó contingat error, circa vniuerſalium præmiſſarum electionem, nè forte credatur, vniuerſaliter demonſtrari, cum ita non ſit, hæc regula obſeruanda, vt illud ſit prædicatum vniuerſaliter competens alicui ſubiecto, quo poſito, & cæteris alijs remotis illud tale ſubiectum ponitur, & quo remoto, & cæteris alijs poſitis remouetur, hoc enim pacto, illud, quod demonſtratur, in quolibet, & primò monſtratur, vt habere tres de triangulo, nó autem de figura, cum non in quolibet nec de ęquicrurę, cum non primo. concluditur, ergo tandem, ex quo neceſſariæ debent eſſe præmiſſæ, quia quod ſcitur per eas neceſſarium eſt; cum non poſſit aliter ſe habere, quòd ſint etiam per ſe, quia vel ſic debent eſſe, vel per accidens. Per accidens autem, neceſſarium non eſt; quod autem ex neceſſarijs, debeat conſtare demonſtratio, ſi prædicta oſtenſione, non eris contentus, alijs conuinci poteſt. Nempè neceſſitas, proprius caracter demõſtrationis eſt, quo ab alijs ſeiungitur ſyllogiſmis, ex veris etenim erit ſyllogiſmus

mus,qui demonſtratio non erit, at ex neceſſarijs, tantum demonſtratio. Sic inſuper inſtare ſolemus, aduerſus eos, qui ſe demonſtraſſe putant, arguendo, quod non oſtenderint demonſtratiue, ex quo non ex neceſſarijs. Amplius,ſi per demonſtrationem propter quid ipſius concluſionis, haberi, debet,hoc vtiq; ex medio neceſſario concludetur; ſi enim medium non neſſarium fuerit, poterit quandoq; non eſſe,cum nullum ſequatur abſurdum, & ſic concluſio neceſſaria, ex illo quod non eſt ſequetur; inſuper ex neceſſario, ſemper neceſſarium infertur, ſicuti, ex vero, ſemper verum, nunquam autem non neceſſarium,ex neceſſario inferri poteſt, ſicuti, non verum, ex vero nunquam infertur. Neceſſarium ergo debet eſſe medium vt neceſſarium ex ipſo deducatur; ex conſequenti; præmiſſæ demonſtrationis, neceſſariæ debēt eſſe, cum ergo neceſſariæ ſint præmiſſæ, per ſe etiam erunt: quod enim per ſe eſt & in quātum ipſum,quod idem eſt,neceſſarium eſt & ecōtra: & ſic medium vltimo, & primum medio, per ſe in eſſe debēt ideſt vnum, in alterius definitione poni debet, ſic enim per ſe deſcribebatur; ex quo infertur, non licere de genere, in genus tranſcendere; adeo vt vnius ſcientię principia, paſsiones alterius probare poſſint, vt Arithmeticę, & Geometriæ, niſi illarum, vel idem ſit genus, vel quodam modo idem; idem eſſe genus duarum ſcientiarum conſtat (ſi duę ſcientię poſſent dici) quando ſpeties eiuſdem ſubiecti ab vtriſq; tractentur,vt numeri par, & impar, & lineę rectę, & circularis: tunc enim idem eſt vtrarumq; genus, quia partes potius ſunt eiuſdem ſcientiæ, quę de recta, & circulari tractat: & tunc vnius demonſtrationes, alteri coaptari poſſunt. vel quando idem quodam mo-

do ſit vtriuſque genus, & hoc eſt, cum vnum ſub al tero ſit, ex quo ſubalternatio ſcientiarum ſumitur: tunc enim ſub alternantis ſcientiæ, cõcluſiones, principia ſubalternatæ poſſunt eſſe; ſubalternatio autem ſcientiarum ex differentia accidentali addita generi ſuperiori conſtituitur, & propterea dicit Philoſophus idem quodam modo eſſe vtriuſq; genus, vt perſpectiua, ad Geometriã, & Armonica, ad Arithmeticam. Dico autem ex differentia accidentali, nãq; eſſentiales differentiæ, per quas ſpecies conſtituuntur, faciunt idem eſſe omnino vtrarumq; genus, & non quodam modo: ſicuti lineæ rectę, & circularis, & numeri par, & impar, eadem enim eſt ſcientia quæ tractat de linea recta, & circulari, cum idem ſit vtrarumq; genus, ſed ſcientia, quę lineam conſiderat, altera eſt à ſcientia, quæ lineam viſualem, hęc enim eſt illi ſubalternata: cum earum nõ idem ſit omnino genus, ſed quodam modo idem, cum accidentali differentia differant; & in hijs, concluſiones ſuperioris, poſſunt eſſe principia inferioris, in illis verò, quorum idem eſt omnino genus, vnius demonſtrationis principia, alterius poſſunt eſſe; in ſuper inferioris ſcientię principia, tantum, quia ipſorum, in eadem conſideratur, ipſorum autem rationes, & propter quid; ad ſuperiorem delegandæ, cum in inferiori, vt vera admictantur, ſic ergo tranſitus demonſtrationum, hoc dicto modo in ſcientijs quę habent idem omnino genus, vel idem quodam modo, fieri poteſt, in alijs verò ſcientiis, quæ ſunt omnino diuerſæ, & quarum, nec idem eſt ſimpliciter genus, nec quodam modo idem, nullo modo tranſitus fieri poteſt ex quo demonſtrationes, ex his quę p ſe ſunt, & eſſentialibus conſtare debent.

&

& ſic vnius ſcientiæ paſſiones, ab altera oſtendi non poſſunt: nec quælibet paſſio, ab eadem ſcientia oſtendi poteſt, niſi illa, quæ, ex propriis rei principiis emanat: in eadem etenim cognatione debent eſſe principia, & quæ ex eis prodeunt: vnum enim in alterius diffinitione poni debet, ſi demonſtratio, ex his quæ ſunt per ſe conſtat. Ex quo etiam infertur, perpetuarum concluſionum, demonſtrationes eſſe, non corruptibilium; de his enim debent eſſe, quæ ſemper ſubiecta concomitantur; & propterea, dicebamus ipſas debere eſſe vniuerſales: corruptibiles namq; concluſiones, ſaltim ex altera præmiſſarum corruptibili deducitur: Vtreque autem debent eſſe vniuerſales, & ſic ſemper ita erunt: æternarum rerum ergo erunt demonſtrationes; quod etiam diffinitionibus in partiendum, cum ſit quæuis diffinitio, vel principium demonſtrationis, vel eiuſdem concluſio, vel tota demonſtratio, poſitione differens. Nec obſtat, demonſtrationem, & diffinitionem de his quæ ſæpe fiunt, & non ſemper quandoq; eſſe, vt de lunaris luminis defectione, tonitruo, & ſimilibus hæc etenim quatenus talia, ſemper eodem modo fiunt, & hoc modo de ipſis eſt ſcientia, quatenus verò in parte, ideſt, vt particularis eclipſis eſt, non ſcitur, ſed quatenus ſemper eodem modo fit. Cum ergo ſatis, probatum ſit, præmiſſas demonſtratiuas debere eſſe per ſe, ſequitur, nunquam quæſitum demonſtratiuum per ſe ſciri; niſi ex propriis rei principiis aliter per accidens, & non per ſe ſciremus; medium autem in eadem generis, & ſubiecti propinquitate, & cognatione debet eſſe, ſicuti & illud, quod per ſe, ipſi ſubiecto ineſt; ex propriis ergo, ob dictas conditiones, debet conſtare demonſtratio

demonſtratio, idest, ex proprio ſubiecto, propria paſſione, & propria dignitate, per quã demonſtratur, propria paſsio de proprio ſubiecto: qui termini demõſtrationis, cum noti debeant eſſe, ex quo demonſtratio ſic procedit, ſequitur, quod de ſubiecto, & dignitate, quid nominis, & eſſe præcognoſcere debemus, de paſsione autem, tantum quid nominis, cum eſſe demonſtretur. Ad hanc itaq; conditionẽ, tamquàm ad illam, quæ alias continet, tractatus de conditionibus potiſsimæ demonſtrationis explicit. Vnde Ariſtoteles hac habita conditione inſurgebat contra Platonis ideas, quas volebat non ſolum eſſe neceſſarias ad generationes, ſed ad cognitionem, vn-

Tex. 81. de ſtatim infert, formas quidem igitur, quæ ſunt, illud vniuerſale præter multa non neceſſe eſt eſſe, ſi demonſtratio erit, quaſi velit Philoſophus ſi ſine ideis, habemus ſcientiam per demonſtrationem, quę ideas non includit, ergo non neceſſe eſt ponere ipſas ad cognitionem acquirendam; & maximè cum demonſtratio ex proprijs principijs conſtare debet, ideæ autem ſunt vniuerſales, & non propriæ.

Nec tibi faceſſere negotium debent, communes illæ dignitates, & proloquia, quæ communia ſunt demonſtratiua principia, & non propria illa etenim virtute, ingrediuntur demonſtrationes: contra negantes ſiquidem propria principia, de ſumi debent: de quibus Methaphiſica pertractare habet, quæ ob id domina, & Regina cæterarum ſcientiarum appellatur, ob quod potius nomine ſapientiæ, quàm ſcientię, inſigniri debet, cum aliarum ſcientiarum, principia probare poſsit: quapropter dicitur, communis facultas, non eo pacto, quo & dialectica communis appellatur, cum ad omnium methodorum viam ha-

beat, ipſa etenim dialectica, cõmunis etiam facultas appellatur, ob quod dictum eſt ab Ariſtotele quarto Methaphiſices cap. 2. circa idem verſari dialecticam & Methaphiſicam, communes enim ambę facultates ſunt, ſed diuerſimodę; Methaphiſica namq; dicitur communis, quia de ente, in quantum ens tractat, & de communibus principijs entis; Dialecticus autem omni enti ſę inſerit, differunt etiam quia Methaphiſicus circa determinata verſatur; Dialecticus vero non ſe determinat, cum vtramq, partem contradictionis accipiat; Methaphiſicus autem, & demonſtrator, circa determinatam partem; veram ſcilicet. De communibus ergo dignitatibus Methaphiſica habet tractare, in quibus communibus dignitatibus, omnes diſciplinæ conueniunt, non autem ſic, in ſubiectis, & paſsionibus, de quibus fiunt demonſtrationes: & propter hoc illę communes dignitates, virtute tantum (vt dictum eſt) ingrediuntur demonſtrationes, quamuis etiam, aliqua communia principia, per coarctationem, propria effici poſſunt, vt ſi ab æqualibus ęqualia demas, quæ remanent ſunt æqualia, proportionabiliter ad numeros, magnitudines, tempora, & motus coarctari poteſt, & effici proprium, vt ſi ab ęqualibus numeris, æquales numeros demas &c. ſimiliter, ſi ab æqualibus magnitudinibus &c. ſimiliter dicendum de illis dignitatibus, vt de quolibet licet affirmare, vel negare & de nullo ambo ſimul, cum cõpetant enti, in quantum ens ad Methaphiſicum ſpectant, vſus autem ipſarum, in alijs diſciplinis, ad demonſtrationis tractatum: quam obrem vſus illius dignitatis, idem de aliquo affirmari, & negari non poſſe ſimul, in nulla demonſtratione accipitur; alterius autem dignitatis vſus, de quolibet licet affirmare, vel

negare

negare, demonſtrationi tantum deſeruit, quę per impoſſibile oſtendit. Patet ergo, demonſtrationem, conſtare ex propriis principiis, quæ erat vltima conditio potiſſimę demonſtrationis, quæ alias continebat, & qualiter, hæc propria principia, in communibus, communicant, & quæ ſit iſtorum communium facultas; quæ contra negantes tantum, propria principia habet probare, & hęc, de ſimpliciter demonſtrationis conditionibus.

DE ALIIS SPETIEBVS DE monſtrationis. Cap. V.

SVccedunt duæ alię demonſtrationis ſpeties; quarum, vna demonſtratio quia, & ab effectu appellatur: altera vero demonſtratio propter quid, & cauſſæ; quarum, vtraq; à fine, & à medio diuerſitatem, & nomen ſumpſit, quibus commodiſſime in ſcientiis vtimur: cum etenim propter quid alicuius effectus quęrimus (quod propriè ſcire demonſtratiuum eſt) nec nobis ſuppetat cauſſę notitia, per quā propriè ſcimus, & quę, vt plurimum, naturæ nota eſt, nobis autem ignota, ad ipſam notificandam, ab effectu procedimus, tamquam à via, nobis innata, quę poſtea, ita notificata, aptiſsimum medium erit, ad propter quid effectus ſciendum, hic ergo eſt vſus harum ſpetierum demonſtrationis, quarum prima, quæ, quia appellatur tripliciter oſtendere poteſt; vno modo à ſigno: vt fumus eſt, ergo ignis eſt, & hæc impropriè demonſtratio appellatur; potius enim coniecturalis ſyllogiſmus nuncupari debet; & ideo Ariſtoteles, De hac nullam curam habuit: alio modo

à cauſſa

à cauſſa remota, vt lapis non eſt diſciplinæ capax; quia non eſt animal: Tertio modo, ab eſſe effectus conuertibilis, circa quem ſumus optimè diſpoſiti, vt volebat Philoſophus in ſecũdo Poſt. vt obſcuratio luminis lunæ eſt, ergo aliquod opacum inter ſolem, & illam interpoſitum eſt, & hec propriè demonſtratio quia, & ab effectu appellatur. Nec te deterreat Auicennæ obiectio, ob quam potius ſyllogiſmum cõiecturalem, quàm demonſtrationem ipſam appellabat; hac motus ratione, quia cum demonſtrationis præmiſſæ, debeant eſſe neceſſariæ, nunquam ſciemus effectum neceſſarium, niſi habendo cauſſam effectus: & ſic in ea fieret petitio principij, ſi etenim vellemus probare, hominem eſſe rationalem, per hoc quia homo eſt riſibilis, nũquam ſciemus hanc propoſitionem eſſe neceſſariam, niſi habendo cauſſam riſibilis, quæ eſt ipſa rationalitas, & ſic illud, quod probare intendimus, aſſumimus: hanc obiectionem, ita diluimus, affirmando ſcilicet, neceſſarias debere eſſe pręmiſſas demonſtrationis quia, tamen alium modũ habemus, ad ſciẽdũ neceſſariam connexionem effectus ad illud cui ineſt, quam eius cauſſam habendo, nempè per ſignificata per ſe: tunc enim ſcimus aliquod neceſſarium eſſe cum ꝑ ſe ſit, ſic enim, vnum, in alterius diffinitione ponitur, & ſic nec eſſe, nec cogitari poteſt ſine altero, & ſic neceſſaria ſunt, cum ſemper ſic ſunt, & ꝓpterea illud quod eſt per ſe eſt neceſſarium, & è cõtra, & hoc pacto, ſcire poſſumus p̄miſſas demõſtrationis q̇a, eſſe neceſſarias vt hominẽ eſſe riſibilẽ, cũ ĩ diffinitiõe riſibilis ponat̃ homo, & ꝓpterea verè demõſtratio appellari põt; q̄cq̇d Auic. dicat, quãuis cõparãdo ipſã, demõſtratiõi ꝓp q̇d, nõ ita ꝑfecto modo ſcire facit; & ideo nomẽ demõſtrat. analogicè *Tex. 39.*

tribus ſpetiebus competit; primo enim, & principaliter, ſimpliciter demonſtrationi; ſecundario, demonſtrationi propter quid. Vltimo demonſtrationi quia. Et quamuis in demonſtratione ꝑpter quid, medium ſit cauſſa, que nobis, vt plurimum, ignota eſt, & per hoc in artifitioſus proceſſus videatur, cum medium notiſsimum debeat eſſe, quæ conditio ipſi debet competere, non ſolum vt demonſtratio, ſed vt ſyllogiſmus, ex noto enim ſyllogiſticè ignotum oſtendimus. Huic nihilominus occurrimus ſuprà: huiuſmodi namq; cauſſa, quæ medium in demõſtratione propter quid, eſt, debet prius ꝑ effectum notificari, & hæc eſt illa reciproca demonſtratio, qua in ſcientiis ſpeculatiuis ſæpius vtimur.

Differt autem, ſcire demonſtrationis quia, à propter quid, & in eadem ſcientia, & in diuerſis; in eadem ſcientia bifariam primo, ſi ſcio propter cauſſam remotam, & mediatam, tunc non ſcio propter quid vt ſi quæratur, nunquid lapis ſit diſciplinæ capax? & reſpondeatur, non: quia non eſt animal, ſcitur vtiq; eſſe, per tale medium, & demonſtratiuè, neceſſario etenim infertur, non eſt animal, ergo non eſt diſciplinæ capax: attamen, non ſcitur propter quid, quia non per cauſſam propinquam, ſed per cauſſam remotam, quia per cauſſam cauſſæ; ſecundo modo, in eadem ſcientia, differt ſcire eſſe à ſcire propter quid, cum ſcimus per effectum conuertibilem, & immediatum, ſcimus tunc eſſe, non tamen propter quid, vt ſi ſciamus, planetas propè eſſe, quia non ſcintillant. propter quid autem ſcimus, cum conuerſo modo probamus, non ſcintillare planetas, quia propè ſunt; & ſic licet alterum, per alterum oſtendere, vt ſi non ſcintillare, ſit notius, probamus per hoc ipſos planetas

netas eſſe propè, cum poſtea hoc pacto fuerit notum retrocedimus, & probamus propter quid non ſcintillant, quod quomodo poſsit fieri, & altera oſtenſio non ſit ſuperflua dictum eſt ſupra. Differt in ſuper. ſcire eſſe, à ſcire propter quid in diuerſis ſcientijs, quando idem ſcibile in vna ſcientia propter quid, in altera quia ſciretur; quod propriè ſeruatur in ſcientijs ſub alternatis; & ſubalternantibus in ſuperiori enim ſcientia ſcitur propter quid; & in inferiori ſcitur quia; vt in Geometria, & Perſpectiua, Arithmetica, & armonica; illud enim quod eſt concluſio in Geometria, vbi ſcitur propter quid, in perſpectiua ſcitur quia, eſt enim principium in ipſa; principia autem nulla demonſtratione probantur, in illa ſcientia in qua ſunt principia: non opineris autem illud quod in ſuperiori ſcientia ſcitur propter quid, in eadem non ſciri etiam eſſe, & quia, hoc enim eſſet Impoſſibile; ſed in illa in qua ſcitur eſſe tantum; nō ſcitur propter quid, quod contingere poteſt etiam in diuerſis ſcientijs, quæ non ſunt ſubalternatim poſitæ; in vna enim poteſt ſciri quia, in alia propter quid, vt eſt medicina ad Geometriam, ſcit enim medicus, vulnera circularia tardius ſanari, at propter quid hoc eueniat, à Geometria docetur: nec collocata eſt Medicina, ſub Geometria: patet ergo qualiter hæ duæ demonſtrationis ſpecies, & in eadem ſcientia, & in diuerſis, diuerſos pariunt effectus, ex quibus manifeſtum eſt, quot ſint ſpecies demonſtrationis, quotque earum conditiones, & quo pacto ſupra habitis cōditionibus, per demonſtrationem, ſine Platonis ideis, exactiſſimè ſcire poſſumus.

De Duplici

DE DVPLICI IGNORANTIA , ET negationis,& prauæ diſpoſitionis. Cap. VI.

VIſis ſpeciebus,& conditionibus illius inſtrumenti quod ſcientiam parit,faciliter poſſumus occurrere duplici ignorantiæ , quæ animum noſtrum quandoque interſepit, & vna , quæ ignorantia puræ negationis appellatur , nobis connaſcitur ; eſt enim intellectus facultas animæ noſtræ,qua poteſt intelligere & hic eſt veluti ἄγραφα tabella , cui nihil eſt depictum , eſt enim ſui natura potentia intelligibilia.ergo cum ignorantia purę negationis naſcimur; remouetur autem ab anima noſtra , per viam ſenſus, vnde ſentiebat Philoſophus,deficiente ſenſu deficere ſcientiam,quippe,cum quicquid ſcimus, vel inductione,vel demonſtratiuo ſyllogiſmo ſcimus : inductio enim ex ſingularibus cognitionem vniuerſalium principiorum affert. Vnde deficiente ſenſu , deficit cognitio præmiſſarum inductionis,quæ cum ſingula res ſint à ſenſu cognoſcuntur,aut non ſine ſenſu ; deficiente cognitione ſingularium , deficit cognitio vniuerſalium principiorum ; deficiente cognitione principiorum , deficit cognitio concluſionis , qua deficiente deficit ſcientia , eſt enim ſcientia habitus concluſionis per demonſtrationem acquiſitus ; ergo deficiente ſenſu deficit ſcientia : & hoc non ſolum verum eſt in ſcientijs , quę res in materia ſenſibili conſiderant , ſed etiam in illis ſcientijs , quæ à ſenſibilibus abſtraunt,Matematica enim ſcientia etiam ſenſu indiget,ſiquidem figuræ quas conſiderat,à ſenſibili materia , ſecundum eſſe ſeparari nõ poſſunt & ſi quandoq; inducit

inducit comprobando aliqua vniuerſalia ſuę ſcientię ſemper ſenſu indiget; inducere autem ſine ſenſu impoſſibile eſt, & vniuerſalia immediata inductione cognoſcuntur; hanc ergo ignorantiam purę negationis, à noſtro intellectu remouere non poſſumus, ſi ſenſus deficiat, nullaq; alia via ſcientias capeſſere poſſumus, niſi per viam ſenſus: hic enim omnis noſtræ cognitionis origo eſt. Ex quibus patet, non omnium eſſe ſcientiam per demonſtrationem, primorum enim illorum principiorum, eſt ſcientia, non autem per demonſtrationem; inductione namque notificantur, vt infra dicemus. Quod ſi ſenſus non deficiat, & ad huc in ignorantia conſtituti videmur; hoc non erit per ignorantiam purę negationis, ſed ſecundum prauam diſpoſitionem, hoc enim pacto Ageometricum theorema ab Ariſtotele dicebatur, vel quia nullam habet agnationem cum Geometria, vt muſicum theorema, & hæc ignorantia negationis dicitur, vel quia, agnationem habet cum Geometria, ſed ſecundum prauã diſpoſitionem, vt paralellas cõurrere, ex terminis geometricis eſt, tamen à veri natura remotis, & hæc ignorantia prauæ diſpoſitionis appellatur quo autem pacto hæc ignorantia acquiratur, & quibus remediis ipſi occurramus, poſt habitam de demonſtratione doctrinam, rationi conſonum eſt, aliquantulum diſſerere. Incurrimus autem in eam ignorantiam, quæ prauæ diſpoſionis eſt, dupliciter, vel ſimpliciter, vel per ratiocinationem; ſimpliciter, cum aliquis illam accipit, nulla ratione apparente perſuaſus, quando abſque ratione ſcilicet exiſtimauit eſſe quod non eſt, vel non eſſe quod eſt. Per ratiocinationem autem, ſi deceptorio ſyllogiſmo dicipiamur; quib⁹ aũt modis poſsit fieri deceptorius

ſyllogiſmus

ſyllogiſmus, aperiendum eſt, vt omnibus cognitis facile ſit euitare, nè in ignorantiam prauæ diſpoſitionis incidamus, quia verò tripliciter, poteſt conſiderari ſyllogiſmus: vno modo, ratione formę, duobus autem modis ratione materiæ, nempè, vel probabilis, vel neceſſarię; trifariam ergo decipi contingit, aut enim, cum opinamur formaſſe ſyllogiſmum, & non formauimus, & hoc peccatum, eſt in forma ſyllogiſmi, & dicitur paralogiſmus; quibus autem modis, poſsit fieri hoc peccatum, in forma ſyllogiſmi copiosè tractauit Ariſtoteles in libro priorum, vbi de inutilibus coniugationibus actum eſt, & in illo loco delegetur hic tractatus: inſtitutum enim noſtrum eſt, tractare de materia demonſtrationis, non autem de forma, vt ſupra dictum eſt.

Poſſunt autem fieri deceptorij ſyllogiſmi ratione materiæ, vel circa propoſitiones immediatas, vel mediatas, & vtraſq; vel affirmatiuas, vel negatiuas, per deprauatum ſcilicet ſyllogiſmum, concludendo earum contrarium, ſi proponatur ergo vna propoſitio immediata, negatiua vera, decipimur, ſi concludamus eius contrarium, vnigerſalem ſcilicet affirmatiuam falſam, hoc autem fit in prima figura, cuius proprium eſt cōcludere vniuerſale affirmatiuum, hoc autem contingit dupliciter, vel ex ambabus propoſitionibus falſis, vel ex altera tantum falſa, minori ſcilicet, hæc enim in prima figura debet eſſe affirmatiua, termini omni eſſendi, quātitás qualitas, animal, animal medium in immedita autē affirmatiua, contingit decipi concludendo ſcilicet per deprauatum ſyllogiſmum negatiuam vniuerſalem, & in prima & in ſecunda figura, ambæ enim negatiuam vniuerſalem concludere poſſunt: in prima ex ambabus falſis, &

etiam

etiam ex altera ſcilicet minori falſa, & maiori vera, vel e contra maiori falſa & minore vera: termini nulli eſſendi, animal, equus homo, homo medium: in ſecunda autem figura non poteſt concludi deceptorio ſyllogiſmo contrarium affirmatiuæ veræ ex ambabus falſis ex toto, ſed bene ex ambabus falſis in parte: termini nulli eſſendi, album, animal, homo, album medium. Poteſt etiam, in eadem figura, ex altera falſa, vel maiore, vel minore deceptoriè etiã concludi vniuerſale negatiuum, & primo ex negatiua minore falſa: termini nulli eſſendi; corpus, animal, homo, corpus medium. Ex affirmatiua, falſa maiore: termini nulli eſſendi: bicubitum, animal, homo, bicubitum medium: idem enim etiam eueniet ſi tranſponas, & maior erit negatiua, & minor erit affirmatiua. Cæterum poteſt quis deceptorio ſyllogiſmo decipi & incidere in ignorantiam prauæ diſpoſitionis circa propoſitiones mediatas, tam affirmatiuas, quàm negatiuas, & primo in prima figura concludendo oppoſitum affirmatiuæ veræ, & hoc poteſt tripliciter fieri, per medium proprium, per medium non proprium, aptum tamen, quòd per ipſum concludatur verum: & per medium, nec proprium, nec aptum; ſi ergo fiat per medium proprium, vel per medium non proprium, aptum tamen; quod erit cum tale medium non ſit in eadem coordinatione, in qua eſt ſubiectum, in iſtis inquam nunquam fit ſyllogiſmus deceptorius ex ambabus falſis, ſed requiritur vt minor ſit vera, & maior falſa; termini quorum medium, eſt proprium, homo; riſibile, rationale, & rationale medium: termini quorum medium non proprium ſed aptum, homo, riſibile, flebile, & flebile medium: Ex medio autem nec proprio, nec

apto,imperitiæ ſyllogiſmus,ad cõcludendum oppoſitum affirmatiuæ veræ, poteſt fieri dupliciter ī eadem prima figura: primo quãdo tale medium erit ſub maiori,& non dicetur de minori,aliter enim non poteſt eſſe medium,nec proprium,nec aptum, quoniã tunc minor erit negatiua, quod fieri non poteſt in prima figura,& tunc debent conuerti in ſuas cõtrarias, quæ erũt ambæ falſę,& ſic fit talis deceptorius ſyllogiſmus termini,homo,corpus,equus,equus medium:at ſi medium nõ fuerit ſub maiori,nec ſub minori, fiet deceptorius ſyllogiſmus, ex maiore vera, & minore falſa, termini homo,riſibile,linea,medium linea. In ſecunda vero figura talis deceptio,ex vtriſq; totis falſis fieri non poteſt, ſed bene ex vna vera,& altera falſa, & ſit quæius, vel maior,vel minor,termini,homo, corpus, ſubſtantia medium ſubſtantia. Si verò concludatur oppoſitum negatiuæ veræ,& mediate,poteſt fieri deceptorius ſyllogiſmus in prima figura, per medium proprium,vel non proprium,ſed aptum, vel non proprium,& ineptum: ſi fiat per medium proprium, vel non proprium,ſed aptum,non poteſt concludi ex ambabus falſis,ſed ex maiore falſa,& minore affirmatiua vera ſicuti dictum eſt ſupra in immediata;ex medio tamen non proprio,nec apto,poteſt fieri deceptorius ſyllogiſmus, ex ambabus falſis,& ex maiore falſa,& minore vera, termini ex ambabus falſis, homo, Albedo linea, medium linea; ex maiore falſa, & minore vera, termini, linea homo corpus,medium corpus, iſtis ergo modis poteſt fieri ignorantiæ ſyllogiſmus, ſecundum prauam diſpoſitionem circa propoſitiones mediatas, & immediatas affirmatiuas, & negatiuas, quibus perpenſis, facillime poſſumus occurrere, ne in hanc ignorantiam incidamus,& ſic remota

mota prima ignorantia puræ negationis à noſtro intellectu, ac per viam ſenſus, acquiſita vniuerſalium principiorum, cognitione ipſiſq; optimè diſpoſitis, ne in ignorantiam prauę diſpoſitionis incidamus, quę ſupradictis modis fieri poteſt prouidere poterimus.

IN TERMINIS DEMONSTRATIuis, non licere, in immẽſum progredi. Cap. VII.

CVm, per viam ſenſus, prima principia innoteſci debeant, ſiquidem ipſarum non ſunt alia principia, hinc in immenſum progredi circa ipſa non licet, ſtandum enim ad ſenſum, & hoc non ſolum verum eſt in principijs, ſed in omnibus demonſtrationis terminis, in ipſis etenim non licet aſcendere in infinitum nec deſcendere; aſcendere autem voco circa magis vniuerſale progredi, ſicuti deſcendere circa particulare. Media enim, & extrema certo quoddam, & præ finito numero, comprehendi debent: Nam, cum termini demonſtrationis per ſe debeant eſſe, vnum in alterius diffinitione poni debet, & ſic vbi ſubiectum, debet poni in diffinitione prædicati, prædicatum illud erit accidens proprium non ergo poſſunt eſſe infinita prædicata, quia tunc vnum ſubiectum, caderet in diffinitione infinitorum. Similiter, ſi prædicatum ponatur in diffinitione ſubiecti, infinita nō poſſunt eſſe talia prædicata, quia cum diffinitio detur gratia innoteſcendi ex ſexto Topic. & deffinitio conſtet ex partibus prænotis; infinita autem noſci non poſſunt, ignotum erit diffinitū; patet ergo, quod in aſcenſu, non licet progredi in

 infinitum;

infinitum ; ſimiliter dicendum in deſcenſu : eadem enim eſt ratio, ſi vnus terminus debet poni in diffinitione alterius, quod ſi extrema finita ſunt, & media finita eſſe debet, impoſſibile eſt namque, extrema eſſe finita, & media infinita.

AN VNIVERSALIS DEMONSTRAtio particulari, & affirmatiua; negatiua, & recta ducente ad incōmudum ſit eccellētior. Cap. VIII.

CVm, ex demonſtrationibus, aliqua ſit vniuerſalis, aliqua particularis, affirmatiua aliqua, & altera negatiua, oſtēſiua, & aliqua ducens ad incōmodum dubitatur, quæ harum ſit eccellentior, ac magis eligenda, & prima fronte, particularem vniuerſali eccellentiorem ſuſpicandum videtur, nam illa eſt præſtantior demonſtratio, qua magis ſcimus, hæc enim eſt demonſtrationis energia, & virtus, magis enim ſcimus, cum rem per ſe ſicuti eſt, quam ꝑ aliud cognouerimus, veluti coriſcum muſicum melius cognoſcimus, cum ipſum coriſcum muſicum cognoſcimus quàm ex eo quod homo muſicus ſit; vniuerſalis autem demonſtratio, rem oſtendit non vt ipſa eſt, ſed vt aliud, ſicuti iſochelem habere tres angulos duobus rectis æquales, monſtrat vniuerſalis demonſtratio, non pro vt eſt iſocheles, ſed quoniam eſt triangulus, particularis verò vti eſt iſocheles; quare, ſi potior eſt demonſtratio, qua res monſtratur vti eſt, & per ſe quàm illa, qua monſtratur per aliud; vniuerſali ergo præſtabilior, eligibiliorq; particularis videbitur eſſe. Rurſus, ſi vniuerſale, extra ſingularia

Pri. ratio.

Secun. ratio.

lāria non eſt; demonſtratio autem vniuerſalis, facit opinari exiſtere ipſum vniuerſale pręter ſingularia, veluti eſſe triangulum extra ſingulares, & figuram ex tra partiales figuras, & numerum extra ſingulos nu- meros, immo per vniuerſalem demonſtrationem, opinari oportet id eſſe, quod non eſt, aliter decipere mur; vt ſi contingat, demonſtrare proportionem, de magnitudinibus, numeris, & ſolidis, hoc non demō ſtraretur optimè de his, vt volebat Philoſophus, in primo poſteriorum, cum proportionale non compe- tat his, ſed alicui innominato cōmuni, de quo poſ- ſet, & deberet fieri optima demonſtratio, quod com mune non eſt, & oportet opinari eſſe; particularis autem demonſtratio circa id eſt, quod re vera exiſtit præſtantior ergo exiſtimanda eſt ipſa vniuerſali; & tanto magis, cum circa vniuerſalem poſsit commicti error, vt habuit philoſophus, circa particularem au tem non ſic. Amplius voluit Ariſtoteles, definitio- nes, & ſcientias, eſſe rerum exiſtentium extra ani- mam, tales autem ſunt res ſingulares; namq; ſi dici- mus hominem eſſe animal rationale, mortale, hæc quidem diffinitio, non competit homini vniuerſali, cum ille non ſit mortalis: & inſuper cum dicimus ani mal eſſe ſubſtantiam animatam ſenſitiuam; hoc non competit animali vniuerſali cum ipſum non ſit ſenſi- tiuum, ſed actu intelligibile; vnde Ariſtoteles, pri- mo de anima, dicebat, animal vniuerſale, aut nihil eſt, aut poſterius eſt: ſingularium ergo videntur eſſe diffinitiones, & ſcientię, ergo particularis demon- ſtratio quę ſciendi inſtrumentum eſt, eccellentior vniuerſali videbitur. His rationibus non obſtanti- bus, contrarium determinat Ariſtoteles, & vult vni uerſalem demonſtrationem, particulari eſſe præſtan- tiorem

Tex. 40.

Ter. ratio.

Tex. 8.

Pri. ratio. tiorem, nobiliorem, ac magis eligendam; vniuerſalis namq; demonſtratio, cauſſam continet, & propter quid; eſt enim vniuerſale ſibi ipſi cauſſa, cui aliquid ineſt perſe, igitur vniuerſalis demonſtratio, acceptabilior eſt ipſa particulari. *Secũda ratio* Inſuper, per demonſtrationem vniuerſalem, cauſſam vltimam in quærendo habemus, qua habita ceſſat quæſtio, hæc autem cauſſa vniuerſalior eſt, & alias continet, vt ſi quæramus propter quid venit, nunquam quieſcimus in quærendo, niſi habita illa cauſſa vniuerſali, quæ non eſt ob aliam cauſſam, & qua habita ceſſat quæſtio, vt venit, vt accipiat argentum; ad huc propter quid, vt redat cui debet, & ad huc propter quid, vt non iniuſte agat; hæc eſt cauſſa, qua habita ceſſat queſtio, ſic in demonſtratione vniuerſali, tunc enim quieſcimus: cum propter quid habemus, quod amplius non ex alio eſt, vt ſi cognoſcamus Iſochelem, ex ternos angulos, rectis quatuor pares habere; non niſi quia triangulus eſt; & hic inſuper ſic eſt, quia figura recti linea eſt, hæc autem figura non ob aliud eſt ſic, id vero tale vniuerſale eſt, ergo vniuerſalis demonſtratio perfectior eſt: *Tert. ratio.* Amplius, per vniuerſalem demonſtrationem, rem finitam, & terminatam ſcimus, ipſum etenim vniuerſale ſimplex eſt, & finitum, multa in vnum colligens, infinita autem ſciri nequeunt, ſicuti ſunt particularia, ergo vniuerſalis demonſtratio, particulari præferenda: *Quar. ratio.* Rurſus, per vniuerſalem demonſtrationem, plura cognoſcimus, nempè, & vniuerſale, & particulare, per particularem verò tantum particulare; vniuerſale nãque continet particulare in potentia, particulare verò nullo modo vniuerſale; ergo illa preſtabilior hac. *Quinta ra.* Amplius, vniuerſalis demõſtratio medium continet, quod

quod eſt primò principio propinquius, vniuerſalius enim eſt tale medium, dignior autem, nobilior eccellentiorq; eſt illa demonſtratio, quæ conſtat ex principijs quàm illa, quæ ex non principiis, aut ſaltim ex minus principijs: priorem conditionem, continet vniuerſalis demonſtratio, ergo dignior, & eccellentior particulari. Tandem, vniuerſalis dignior eſt particulari, quia vniuerſalis, ab intellectu accipitur particularis verò ſenſu percipitur, ſaltim exiſtentia ſubiecti in minore propoſitione, & ſic aliquid eius ad ſenſum pertinet; illud autem, quod intellectu percipitur, dignius eſt illo, quod ſenſu habetur, ergo vniuerſalis demonſtratio, dignior eſt particulari. *Vlti. ratio.*

Rationes autem oppoſitę, facillimè diluuntur: prima enim, non magis particulari fauet quam vniuerſali, per vniuerſalem namq; demonſtrationem, rem ſicuti eſt ſcimus, & per quod competit. immo ſi ſcimus habere tres de Iſochele non per illud, cui competit ſcimus, ſed tunc nõ per aliud cognoſcimus, cum illud per naturam trianguli cognouerimus, cui primo competit habere tres: non ergo per vniuerſale, rem per aliud cognoſcimus, ſi vniuerſali primo competet. Secũdam vero obiectionem diluit Philoſophus, aſſerendo vniuerſale, non eſſe tantum nomine, ſe re ipſa, & ſic nõ minus erit, quàm res particularis, exiſtit enim vniuerſale, in ipſis ſingularibus, nec extra ipſa ſingularia, quinimo, magis meliuſq; eſt ipſo ſingulari quia in ſingularibus eſt corruptibilitas, quæ non eſt in vniuerſali: nec neceſſarium eſt, per vniuerſalẽ demonſtrationem credere eſſe, quod non eſt, vt puta, vniuerſale eſſe vnum quid, & per hoc extra ſingularia, hoc enim nõ ſequitur, ſicuti, nec in accidẽtibus, accidens, eſt vnum quid, diſtinctum à ſubſtantia

cum materialibus circunſtantijs & differentiis ſumatur, quæ alterius alteræ ſunt, Socratem & Platonem, cæteroſq; ſingulares homines cõſtituit, ſi autem, abſq; his ſumatur, commune fieret: nõ quia partem illius participet vnuſquiſq;; eſt enim integrum in ſingulo, commune autem eo quod in pluribus ſit idem: & hoc vniuerſale in rerum natura exiſtit, nec efficitur ope intellectus; huius autem communis, ſunt diffinitiones & ſcientię, non quia ſit in multis, vno enim tantum homine ſubſiſtente, eadem eſt hominis ratio & ideo, non communis } vt communis eſt diffinitio, quia illud commune, vt commune cum ſit incorporum, nõ poteſt eſſe animal greſſibile bipes, ſed eorum communium, ſunt diffinitiones, & demonſtrationes, quæ ſunt, & exiſtentiam habent in ſingularibus: dicitur autem communium eſſe diffinitiones, quia intellectus habet ſeparare hominem, ab his, cum quibus ſubſiſtit, & ſeparando materiales illas circunſtãtias, & conſiderando ſeorſum, illud commune, quod in pluribus idem eſt, æternum facit id, quod corruptibile eſt, eſt etenim in ſingularibus, quę per ſucceſſionem æterna ſunt, & cum ſit idem in ſingulo & omnibus æternum eſt. Alterum eſt vniuerſale, quod nõ eſt niſi intellectus ope, immo ſi intellectus non eſſet, hoc vniuerſale non eſſet: & hoc eſt illud quod genus appellatur. Ipſum ſiquidem aut nihil eſt, aut poſterius, quia eſt accidens rei, oportet enim ſupponere rem cui accidat, & propterea eſt poſterius; aut nihil ob minimam entitatem quam habet, cum non ſignificet aliquam naturam propriam, ſed ſit tantum ope intellectus, & propterea additum eſt, ab Ariſtotele animal vniuerſale, quia, animal, vt animal ſignificat ſubſtantiam animatam ſenſitiuam, quæ in vno ani

mal

mali numero ſeruari poteſt, non autem animal, vt genus, tale enim in pluribus ſeruari debet, quæ etiam ſpetie habent differre; & propterea, aut nihil eſt aut poſterius; cum enim eſt animal, non neceſſe eſt animal vt genus eſſe, ſed ſi ſit animal vt genus, neceſſe eſt animal eſſe; & ſi auferatur ſubſtantia animata ſenſitiua, aufertur animal vt genus; ſed ſi auferatur animal vt genus, non neceſſe eſt auferri animal; vniuerſalium ergo hoc pacto ſunt ſcientiæ, ex conſequẽti vniuerſales demonſtrationes particularibus præſtabiliores, & magis eligendæ. Cęterum, quod affirmatiua demonſtratio; præſtantior ſit negatiua, ex his fidem capere poſſumus, præſupponendo prędtantius eſſe, quod ex paucioribus concluditur, & ex minori rerum copia, quàm illud, quod ex pluribus; ſed affirmatiuum concluditur per vtraſq; affirmatiuas, ergo per eſſe tantum; negatiuum autem non poteſt concludi niſi per alteram affirmatiuam, & alteram negatiuam, quia ex vtriſq; negatiuis, impoſſibile eſt conſtrui ſyllogiſmum, ergo ex eſſe, & non eſſe concluditur negatiuum, & ſic per plura, quàm affirmatiuum, ſed quæ ex paucioribus præſtantior, ergo affirmatiua demonſtratio, negatiua præſtantior. Amplius, credibilius, notiuſq; eſt per quod monſtratur, quàm ipſa res demonſtrata, quia propter quod vnum quodq; & illud magis, ſed per affirmatiuam monſtratur negatiua, non autem è contra: ergo affirmatiua prędtantior negatiua, hoc autem totum manifeſtum eſt, quia ad oſtendendum negatiuam, requiritur altera propoſitio affirmatiua, ex vtriſq; enim negatiuis (vt dictum eſt) non põt aliquid oſtendi, ad oſtendendum autem affirmatiuam, debent ambæ eſſe affirmatiuæ, ſi enim altera eſſet negatiua, concluſio deberet

eſſe negatiua, ſemper enim concluſio deteriorem partem ſyllogiſmi ſequitur, ſicuti ex libro priorum liquet, ergo negatiua per affirmatiuam oſtenditur, & non è contra, prior ergo credibiliorq; erit affirmatiua, & ſic præſtantior, & quod dicitur de propoſitionibus, debet dici de demonſtrationibus, cum demõſtratio, conſtet ex ipſis tamquam ex ſuis principijs. Quod autem, recta demonſtratio ſit præſtantior illa, ducente ad incomodum, patet ex hoc, quia in oſtenſiua demonſtratione, id quod eſt principium rei ponitur eſſe notius: at in demonſtratione, ducente ad abſurdum ponitur pro notiore concluſio, ſeu res, quę producitur ex principio, cum ex oppoſito concluſionis, oſtenditur oppoſitum principii & iſtæ tales demõſtrationes, potius videntur eſſe de genere demonſtrationum; quia; & ſic, manifeſtum eſt quod præſtabiliores ſunt demonſtrationes rectę, demonſtrationibus ducentibus ad incomodum; quibus ita manifeſtatis, aliud theorema clarum erit, nempe inter omnes figuras ſyllogiſmorum, aptiſſima ad ſciendum ꝓpter quid erit ipſa prima figura: vniuerſalior enim; affirmatiua demonſtratio præſtantior, vt probatum fuit, eſt particulari, & negatiua: in prima autem figura, tantum concluditur vniuerſale, & affirmatiuum, ergo ipſa; demonſtrationi magis accomodata. Amplius, exactiſſime ſcientię, quæ propter quid tractant, ipſa prima figura vtuntur. In ſuper, vt infra dicemus, ipſum quid per primam figurã manifeſtari poteſt, non autem per ſecundam, & tertiam; ſiquidem, ipſum quod quid ſemper eſt affirmatiuum & vniuerſale; ſecunda autem figura ſemper concludit negatiuè, & tertia particulariter.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

DE SCIENTIARVM PERFECTIOne, & imperfectione Cap. IX.

SAtis, ſuperq; dictum eſt, de diuerſarum demonſtrationum perfectione, & imperfectione, conſonum eſt modo videre, num perfectio, & imperfectio ſcientiarum, ſemper ſumatur, ex demonſtrationum perfectione, & imperfectione? ad quod dicendum, quod oĩs ſcientia tripliciter eſt altera prior certior, & perfectior: primo certitudine demonſtrationis; cum ſcilicet per veram cauſſam ſcimus habemus tunc eſſe, & propter quid, & tunc ceſſat omnis quæſtio: cum verò ſcimus per non cauſſam, vel per cauſſam remotam, non ſcimus propter quid; ſed eſſe tantum: ſecundo modo, vna ſcientia eſt pręſtantior altera, ratione ſubiecti, quanto enim ſubiectum abſtractius, à materia ſenſibili, conſiderat, tanto præſtantior; & per hoc omnes ſub alternantes ſcientię, præſtantiores, ſub alternatis ſunt, quia ſubiectum ſubalternantium dicitur eſſe abſractius, vt arithmetica, reſpectu armonicæ: Tertio modo, diuerſarum ſcientiarum vna eſt præſtantior altera; nempè, illa, quæ ſimplicius ſubiectum conſiderat præſtantior eſt illa, quæ ſubiectum magis mixtum, & compoſitum pertractat. Ex compoſitione etenim prouenit confuſio, ex quo arithmetica pręſtantior, geometria, quia arithmetica, vnitatem conſiderat, quæ eſt quantum ſine poſitione; geometria verò punctum, qui habet poſitionem: ex quo aliud ſequitur, nempè, quod ſicut perfectio, & imperfectio ſcientiarum, non ſemper ſequitur, ex perfectione, & imperfectione demõſtrationum, ſic, & vnitas, & diuerſitas ſcientiarum,

non

non ſemper ſumitur ex vnitate, & diuerſitate demon ſtrationum; diuerſę enim, poſſunt vnius ſcientiæ eſſe demonſtrationes, ſed vna dicitur ſcientia, quę vnum conſiderat ſubiectum; nec ſufficit, quia cęlum eſt vnũ ſubiectum, quod Philoſophus naturalis, & Aſtrologus conſiderat, ſed ad hoc vt ſit vna ſcientia, requiritur vltra vnitatem ſubiecti, vt per ſe paſſiones de illo, vel de partibus ipſius conſideret per propria eiuſdem principia; Iſtis enim terminis, vna ſcientia coercetur, vltra quos non licet progredi. Diuerſæ verò ſcientiæ ſunt, quarum ſubiecta ſunt diuerſa, nec vnũ ſub altero, nec in principijs propriis communicant. Ex quo ſequitur, ſcientiam per demõſtrationem non eſſe eorum quæ à caſu, & fortuna ſunt, ſiquidem nullũ talium per ſe, & neceſſario eſt, nec ex principiis ſubiecti prouenit, & cum ſcientia ſit eorum, quę cauſſam habent ſequitur per ſenſum non poſſe eſſe ſcientiam, cauſſa etenim ſemper vniuerſalis eſt, nec aliò pacto ſciri poſſunt melius, certiuſq; ea, quę cauſſam habent, quàm cauſſam habendo; huiuſmodi autem per ſenſum percipi non poteſt, cum ſit vniuerſalis, ſenſus enim ſingularium eſt: & ſi eſſemus ſupra lunam & ſenſu perciperemus interpoſitionem terræ, inter ſolem, & lunam, non propter hoc ſciremus, lunę eclipſim per cauſſam, non enim, quia nunc ſic eſt, quod per ſenſum percipimus, ſemper ita eſſe, quod proprium cauſſæ eſt, ſuſpicari debemus; quamuis, perceptio, per ſenſum, aliquando à quæſtione nos liberat quando ſcilicet, per talem perceptionem vniuerſale conſequemur, vt ſi ſenſu perciperemus, exiles illos meatus in vitro, non quæreremus, propter quid lumen vitrum pertranſit, quando ſcilicet, in multis vitris hoc obſeruaremus, vniuerſale enim hoc pacto

adepti erimus. De primis verò principijs, quę, ſenſus ope percipiuntur, & de quibus nō eſt ſcientia, vtrum eorum notitia præſtantior ſit ſcientia, alia eſt ratio, de qua infra tractabitur, hęc ergo de ſcientiarum perfectione, & imperfectione.

DE DIFFERENTIA SCIENtiæ, & opinionis. Cap. X.

SEd, quo pacto differat ſcientia, ab illa ratiocinatricis cognoſcente vi, quæ opinio dicitur, nunc aperiendum, & primo differt ſcientia, ab opinione, ratione rei opinabilis, & ſcibilis, ſcibile enim eſt vniuerſale tantum, opinabile verò, & vniuerſale, & particulare; Secundo in genere probādi, namq;, ſcientia demōſtrat per media neceſſaria, opinio verò per media contingentia: Tertio, ſcientia eſt circa ea quæ non poſſunt aliter ſe habere, opinio verò, circa ea, quæ poſſunt aliter ſe habere, & quòd hoc ita ſit, patet, præſupponendo, circa hæc poſſe eſſe veritatem nihil enim vetat contingentia eſſe vera; habitus enim, quibus veri, aut falſi eſſe poſſumus, vt voluit lucidiſſimus Themiſtus tertio de anima cap. xj, aut eſt ſenſus, aut opinio, aut ſcientia, aut intellectus: eorum ergo, quæ aliter eſſe poſſunt cognitio, non pertinet ad ſenſum, ſenſus enim, & ſi verum cognoſcat illud eſt ſimplex, tunc enim verum dicitur cognoſcere ſenſum, quando citra cōplexionem, obiecta pro vt ſunt, accipit, & ideo ad veritatem ſenſus, non ſequitur fides, & aſſenſus. Veritas autē & falſitas, eorum quę poſſunt aliter eſſe, eſt cum complexione, & ad ea ſequitur credulitas, & aſſenſus, ad hanc ergo non

non ſe extendit ſenſus, nec ſcientia,cum ipſa ſit neceſſariorum,& eorum,quæ nõ poſſunt aliter eſſe,nec intellectus,qui eſt habitus principiorum, qui dicitur principium ſcientię,vnde ſi ſcientia non eſt eorum, quæ poſſunt aliter eſſe, multo magis nec intellectus, cum ſit principium ſcientię;relinquitur ergo, opinionem eſſe eorum,quę poſſunt aliter ſe habere, & ſic patet,quot modis differat opinio à ſcientia,& hæc dicta,ſufficiant de conditionibus illius inſtrumenti, quod ſcientias parit,quod demonſtratio appellatur, cuius medium virtute totam demonſtrationem continet,vnde ſi circa ipſius inuentionem facilitatem,& promptitudinem quis habeat,ſolers, & perſpicax dicetur. Eſt enim ſolertia,ingeniorum promptitudo, & facilitas,ad medium inueniendum circa propoſitum problema, quod ſi hæc deficiat, artificioſa methodo,pro ipſius inuẽtione vti debemus: dequa Ariſtoteles,ſatis vberrimè in ſecundo libro poſteriorum pertractat, ſic enim ſe continuat in vltimo textu primi poſteriorum de qua,& nos infra tractabimus; ſed prius dilucidãda eſt illa quæſtio famoſa de demõſtrationis potiſſimæ,medio:cuius termini ſcilicet ſit cauſſa,maioris vel minoris,vel vtriuſq;: hæc enim inter conditiones demonſtrationis erat præcipua, circa quam grauiſsimos auctores diſſentientes reperio. adhibe igitur actentas aures.

QVAESTIO DE MEDIO TERMINO demõſtrationis potiſsimę proponitur. Cap. XI.

INter cæteras conditiones quas Ariſto. prę miſſis demonſtrationis ſimpliciter tribuit,hãc p̄cipuã cõſiderat,nẽpè prę

miſſas

miſſas demonſtrationis, debere eſſe cauſſas; tunc enim demonſtratione cognoſcimus, cum cauſſam habemus; nec vnquam, ac certius illa, quæ cauſſam habent cognoſcimus, niſi, cum cauſſam ſcimus, ſic rem ſimpliciter, ſicuti eſt cognoſcimus: verum, cum non quilibet terminus præmiſſarum demonſtrationis cauſſa poſſit eſſe, maior enim extremitas, quę eſt paſſio propria, potius eſt cauſſatum quàm cauſſa. Minor extremitas, cum ſit ſubiectum, de quo propria paſſio habet demonſtrari, nec ipſum dicitur eſſe cauſſa; de ipſo nanq; demonſtratur paſſio, per cauſſam; relinquitur ergo, medium terminum tãtum eſſe cauſſam. Hinc Auerroys in primo poſteriorum dicebat, nil aliud eſt dicere præmiſſas eſſe cauſſas, quàm continere medium quod ſit cauſſa: Verum cum cauſſa, alicuius dicatur eſſe cauſſa, hinc quæritur, cuius dicatur medium cauſſa, maioris, vel minoris ideſt paſſionis, vel ſubiecti, vel vtriuſq;, hęc quæſtio diu Ariſtotelis expoſitores torſit adeo, vt adhuc, ſub iudice lis ſit, ob quod arduum eſt, veritatem indagagare, illam tamen attingere conabor, vt potero, ex intimis penetralibus Philoſophi, nulli alteri addictus illamq; ſic perpendas oro.

TITVLVS QVAESTIONIS declaratur. Cap. XII.

VT faciliter, in hac quæſtione, detur additus veritati; opere pretium duxi titulum queſtionis declarare omnis etenim doctrina, omniſq; diſciplina ex præexiſtenti cognitione acquirit Vnde volebat Auerroys, ex præ cognitione quid nominis

minis quæſiti nos dirigi ad doctrinam, & inuentionem cauſſæ ipſius. Quæritur ergo, vtrum medius terminus in demonſtratione potiſſima ſit cauſſa maioris, vel minoris, vel vtriuſq; , & vt ordinatè, & diſtinctè procedam; cum quæſtio ſit de medio termino demonſtrationis potiſſimæ, ſumitur medius terminus pro cauſſa ſcientiæ, ſiquidem ipſa eſt, per quem ſcimus, ſcire etenim demonſtratiuè, eſt rem per cauſſam cognoſcere, & Ariſtoteles ſecundo poſteriorum poſt quam dixerat omnem queſtionem eſſe medii quæſtionem, ſubdebat, cauſſa enim medium eſt: inſuper, cum loquimur de medio termino demonſtrationis potiſſimæ ſciendum quod verba facimus, de illa ſpetie demonſtrationis, quę ex decreto Auerroys, cum quo oportet conuenire in fundamentis, ſi cum ipſo aggredi diſputationem intendimus; eſt certiſſima inter ſuas ſpeties perfectiſsima ipſarum, & primo intenta in primo poſteriorum, hæc enim eſt illa vt ſupra dicebamus, quæ notificat eſſe, & cauſam: Vno enim examine, vt volebat lucidiſſimus Themiſtius vtrunq; quęſitum abſoluit, adeo, vt ſecus eſſet dicendum de medio termino demonſtrationis propter quid, & demonſtrationis quia, & hoc, præ oculis ſemper habendum, in hoc quæſito, quia hoc, non aduertentes expoſitores, in varios labirintos incidunt. Eſt & alter terminus declarandus, nempè, cauſſa, hęc de mente Themiſtij dicitur eſſe vera, & non vera, cauſſa non vera eſt, quæ infert tantum concluſionē, quæ à latinis dicitur cauſſa in inferendo, & cognoſcēdo, ab Auerroe, cauſſa in eſſendi maius minori tantum: vera autem cauſſa eſt, quæ non ſolum infert, ſed dat eſſe effectui, & hæc à latinis dicitur cauſſa eſſendi; ab Auerroe, cauſſa eſſe ipſum maius ſecundum Tex. 5.

ſe; vi-

ſe; videbimus ergo, vtrum medius terminus, in tali demonſtratione dicta, ſit cauſſa vera, vel non vera; & cum multiplex ſit ſignificatum cauſſæ, dicitur enim de cauſſa formali, materiali, efficiente, & finali; ſi medius terminus dicitur eſſe cauſſa, oportet videre, ſub quo genere cauſſæ debeat conſtitui, nec modo conſiderationem faciam, an debeat moueri hæc quæſtio, ſub nomine cauſſæ, vel definitionis, quia vt infra dicemus, qui Philoſophiam ſapiunt nullam, aut minimam faciunt differentiam inter cauſſam formalem & definitionem, & qui aliter ſentiunt deridendi potius ſunt, quàm audiendi. Reſtat modo videre, quid intelligimus per maiorem, & minorem terminum, derelinquo, vtriuſq; definitionem ab Ariſtotele traditam 1 libro priorum, quod extrema ſint, quod & ipſum, in alio; & aliud, in ipſo; hoc enim naturam ſyllogiſmi, vt ſyllogiſmus eſt, ſequitur; ſed loquendo, in demõſtratione, non ſufficit, quod ipſum in alio, & aliud in ipſo ſit, ſed maior terminus eſt prædicatum quæſiti, quod eſt accidens proprium ſeu propria paſsio, vt loquar more latinorum, hæc enim quæritur per demonſtrationem, & minor terminus eſt proprium ipſius ſubiectum, de quo ipſa quæritur: intelligitur ergo quæſtio, vtrum medius terminus, qui locum cauſſæ occupat in demonſtratione potiſsima, quæ eſt principaliſsima illa demonſtrationis ſpecies, quæ vtrumq; abſoluit quæſitum, ſit cauſſa vera, vel non vera, & ſi vera, formalis, vel ſecundum aliud ſignificatum cauſſæ, maioris ideſt paſsionis, vel minoris, ideſt ſubiecti, vel potius vtriuſq;, ideſt paſſionis, & ſubiecti.

Opinio

OPINIO AVICENNAE, QVAM ipſi imponit Auerroys examinatur. Cap. XIII.

AVerroys in primo poſteriorum, & in epithomatibus logicalibus, & quæſitis poſterioriſticis, imponit Auicenæ opinionem vnam de medio termino demonſtrationis, quam neſcio, ſi gratis ei impoſuerit, vult enim ipſe, quod Auicenna ſentiat, ad conſtituendum medium in demonſtratione, hoc tantum requiri, quod ipſe medius terminus ſit cauſſa in eſſendi, ſiue inferendi maius de minori, nec opus eſſe, vt ipſe ſit cauſſa eſſe maioris; ex quo ſequitur duplicem poſſe eſſe ſpeciem demonſtrationis ſimpliciter, vna in qua medius terminus ſit cauſſa minoris, & cauſſatus à maiori, cum hoc tamen, cauſſa in eſſendi maius minori, vt omne animal corpus, omnis homo animal, ergo omnis homo corpus, animal medium eſt cauſſa hominis minoris extremi, & cauſſatum à corpore maiori extremo, tamen cum hoc eſt cauſſa vt corpus īferatur de homine & in hac ſpetie conueniebat cum Alfarabio, vt voluit ipſe, in ſecundo quæſito poſterioriſtico, in illis verbis, & ſermones iſtorum virorum ſunt affines quia de mēte Alfarabij, vt videbimus ſufficiebat medium eſſe cauſſam minoris tantum ſecundum eſſe: illationis verò maioris de minori: Altera ſpeties ſecundum Auice. eſt, vbi medius terminus ſit cauſſatus ſecundū eſſe ab vtroq; extremo, cauſſa tamen inferēdi maius de minori, vt omne riſibile ratiōale, oīs homo riſibilis, ergo oīs homo ratiōalis, riſibile medium ī hac eſt Com. 11.

cauſſatum ſecundum eſſe à rationali, & ab homine, cum hoc tamen eſt cauſſa, vt inferatur rationale de homine, adeo vt ſufficiat ſecundum ipſum, medium terminum inferre tantummodo maius de minori, & cum hæc ſit conditio neceſſario requiſita, reſultat vt medius terminus ſecundum eſſe, vel ſit cauſſatus à maiori & cauſſa minoris, vel cauſſatus ab vtroq; & ſecundum hunc intellectum intelliguntur verba Auerroys in primo poſteriorum. Quod opinio iſtius viri habet duplicem ſenſum. Hæc eſt opinio de medio termino demonſtrationis ſimpliciter, quam Auerroys, Auicennę imponit, ſed neſcio ſi hæc fuerit ipſius opinio, fuit enim Auicenna maximus Philoſophus, & mathaphiſicus, & optimè calluit conditiones omnes demonſtrationis, quinimo, vt refert ipſemet Auerroys in quæſitis poſterioriſticis Auicenna negabat demonſtrationem quia, eſſe demonſtrationem, cum imaginaretur ſibi deficere conditionem neceſsitatis, putabat enim præmiſſas ipſius, non poſſe ſciri eſſe neceſſarias niſi habendo cauſſam, quę per talem demõſtrationem cõcluditur, quare, antequàm cõcludatur debebat pręſciri, & ſic petitio principij, vel ipſius præmiſſæ non erant neceſſariæ, quod Auerroys in ſu pradicto loco redarguit, ſi ergo Auicenna hoc non ſomniauit, quo pacto, vult modo imaginari, conditionem neceſſario requiſitam, ad medium demonſtrationis ſimpliciter eſſe ipſum tantum cauſſam inferendi maius de minori? vt cumq; verò ſit, ſiue ipſius, ſiue alterius ſit opinio, erronea, & citra mentem Philoſophi exiſtimãda eſt, hæc enim conditio, quod ſcilicet medius terminus ſit cauſſa inferendi maius, de minori; generica eſt, & demonſtrationi compe, tit non inquantum demonſtratio, ſed ipſi, vt ſyllogiſ-

Quæſ.6.

mus

mus eſt, in ipſo etenim neceſſe eſt aliud euenire, per ea quæ poſita ſunt, in demonſtratione autem medius terminus debet eſſe cauſſa vera, vt voluit Themiſtius idest cauſſa eſſe, & nō inferendi tantum, quem ſequuti ſunt omnes greci & Auerroys, & hoc ſumpſerunt ab Ariſtotele, qui voluit quod medius terminus ſit cauſſa, propter quam res eſt, & per hoc differt à medio demonſtrationis, quia: ex quo infero, illas duas imaginatas ſpecies demonſtrationis, non eſſe demonſtrationes ſimpliciter, quia deeſt conditio veræ cauſſæ, vt infra melius declarabitur, nec opus eſt modo longiori ſermone ad deſtruendum hanc opinionem vti, cum falſitas ex ſe appareat.

ALFARABII OPINIO EXAminatur. Cap. XIIII.

VIſo, quod medius terminus in demōſtratione potiſsima, debeat eſſe cauſſa vera, & non inferendi tantum, ſuccedit modo videre, cuius debeat eſſe cauſſa; Auerroys, in pluribus locis ponit opinionem Alfarabij circa hoc quæſitum, qui fuit vir maximus, à quo Auicenna multa dificillima, & ſcitu digna faſſus eſt ſe didiciſſe, vt refert ſorſanus eius diſcipulus, quam opinionem intēdo prius examinare; difficillimum enim eſt videre, quæ fuerit ipſius opinio, cum Auerroys nimis cōfuſe ipſam videatur declarare; ſciēdum ergo Alfarabium voluiſſe medium terminum demonſtrationis potiſsimæ, poſſe eſſe indiſcriminatim cauſſam cuiusuis extremitatis, maioris ſcilicet, minoris, & vtriuſq;: ex quo capio tres poſſe fieri ſpecies demon-

ſtrationis ſimpliciter ſecundum ipſum: prima, in qua medius terminus eſt cauſſa minoris tantum, vt omne animal corpus, omnis homo animal, ergo omnis homo corpus: Altera in qua medium eſt cauſſa maioris tantum, vt omne habens aptitudinem ad ridendum, eſt riſibile, omnis homo habet aptitudinem ad ridendum, ergo omnis homo riſibilis: medium in hac eſt tantum cauſſa riſibilis non hominis: Tertia ſpecies eſt, in qua medium eſt cauſſa vtriuſq; extremi, vt omne animal rationale riſibile, omnis homo animal rationale, ergo omnis homo riſibilis, verum voluit Alfarabius referente Auerroe in tertio quæſito, & in primo poſteriorum, quòd harum ſpecierum illa cuius medium eſt cauſſa minoris tantum, habet veram, & propriam conditionem demonſtrationis ſimpliciter, quòd ſit etiam cauſſa maioris, eſt ad benè eſſe, & per accidens. Contra quam opinionem inuehit Auerroys in primo poſteriorum, & pluribus rationibus nititur deſtruere ipſam, & examinando omnes dictas ſpecies, dicit, medium terminum eſſe cauſſam amborum extremorum, eſſe quid accidens ipſi; ideo iniquum eſt, putare, quod hæc ſit de conditionibus demonſtrationis ſimpliciter, cum conditio per accidens non ſit ipſi tribuēda: illud verò, eſſe tantum cauſſam minoris, dicit Auerroys, quod hoc non occurrit omnino, & rationes ad hoc poſſunt eſſe plures, quas adducemus, in roboratione opinionis Auerroys, ſed pro nunc, ſi medium eſſet tantum cauſſa maioris, ſequeretur, maiorem propoſitionem demōſtrationis nō eſſe p ſe, quare, nec ipſum poneretur in definitione maioris nec è cōtra, nec poſſet dici ipſum medium eſſe cauſſatum à maiori, & ſic forſan maius poneretur in definitione ſua, quia ſupra conclusum

Com. 11. (margin, beside "to, & in primo poſteriorum")

Com. 11. (margin, beside "inuehit Auerroys")

cluſum eſt medium debere eſſe cauſſam veram,& nõ cauſſatum. Amplius,ſi hęc opinio eſſet vera,ſemper aliqua præmiſſarum eſſet per accidens, & aliæ multæ deficerent conditiones, vt infra declarabitur.

OPINIO AVERROYS VALIDISſimis rationibus fundatur. Cap. XV.

OPinione Alfarabij deſtructa, Auerroys, ſuam fundat opinionem,quam intendo ad amuſſim declarare, ipſamq; rationibus multis comprobare; hæc enim opinio, paſsim fuit ſubſtentata vſq; ad hæc tempora, pro cuius firmitudine, multa ab Auerroyſtis præſupponuntur : Primum, demõſtrationem ſimpliciter dirigi ad quæſitum naturaliter ignotum,quod eſt de eſſe, & propter quid paſsionis,vt Auerroys voluit in ſecundo libro de cælo,primo phiſicorum,& primo poſteriorum: Secundo præſupponitur quæſitum quod per demõſtrationem habetur eſſe propriã paſſionem, nempè demonſtratio ipſa, circa tria eſt, vt, voluit Ariſtoteles primo poſteriorum ; circa quæſitum, qnod eſt paſſio, circa conceſſum, quòd eſt ſubiectum, & circa dignitatem quæ eſt medium. Tertio, prçſupponitur, paſſionem ab Ariſtotele appellari primum terminum, quia eſt maior extremitas in demonſttatione, quæ prędicatur de medio, in maiori, & concluditur de minori extremo in concluſione. In quæſito enim paſsio eſt prædicatum : His ita ſtabilitis,Auer.opinio erigitur,quæ duabus cõcluſionibus explicatur,prima medius terminus in demõſtratiõe potiſsima,debet eſſe cauſſa maioris extremi

Com. 35.
Com. 2.
Com. 95.

tantum

tantum, id eſt, paſſionis, & non minoris id eſt ſubiecti, niſi ad bene eſſe & ſecundum accidens; ſecunda concluſio, cum multiplex dicatur eſſe cauſſa, medius terminus in tali demõſtratione debet eſſe cauſſa formalis paſſionis, quę ſecundum Auerro. ſtas, potius debet dici cauſſa, quam definitio, ob quod arguunt grecos, vt Themiſtium, Philoponum, Luſtratium, & alios latinos, qui ſub nomine definitionis hanc quæſtionem mouent. Hæc eſt Auerroys opinio, quæ multis rationibus muniri poteſt. *Prima ratio* Prima ratio ſit talis; Illius rei debet eſſe cauſſa medius terminus demonſtrationis potiſſimæ, quæ, quęritur, & poſtea ſcitur, quæſitum enim, & ſcitum, ratione differunt, vt voluit Auerroys primo poſteriorum, ſed illud, quod quæritur eſt paſſio, quæ poſtea per demoſtrationem ſcitur, vt ſupra, ex pręſuppoſitis de mente Ariſtotelis probatum fuit, ergo medius terminus debet eſſe cauſſa paſſionis, & non ſubiecti, cum ſubiectum nõ quæratur. *Secũda ratio* Amplius, ſcire eſt cognoſcere rem per cauſſam propter quam res eſt, ſed res, quæ ſcitur eſt paſſio, ſubiectum autem eſt, de quo ſcitur, ſicuti dignitas, per quam ſcitur, vt patet ex Ariſtotele loco allegato ergo medius terminus debet eſſe cauſſa paſſionis. *Tert. ratio.* Inſuper, medium, & extrema debent eſſe in eadem cognatione, vt voluit Ariſtoteles contra Briſſonem, *Pri. poſt. tex. 67.* ſed ſi medium, eſſet cauſſa ſubiecti, tunc in vno genere eſſet medium nempe, in illo, in quo eſt ſubiectum, & alterius generis eſſet paſſio, ſed ſi eſſet cauſſa paſſionis, eſſet in eadem cognatione cum paſſione ergo, &c. *Quar. ratio.* Rurſus, ſi medium, eſſet cauſſa ſubiecti, in demonſtratione ſemper fieret petitio principij, quia illa cauſſa ſubiecti, cum debeat eſſe, cauſſa formalis, vt dicemus, quæ definitio eſt, vt probabimus, & cum

idem

idem ſit re, definitio & definitum, ſic demõſtratur paſſio de ſubiecto, per ipſummet ſubiectum. Præterea ſemper procederemus per ignota, quia ita eſt ignota paſſio de ſubiecto, ſicuti de definitione ſubiecti. Relinquitur ergo, medium debere eſſe potius cauſſam paſſionis, quàm ſubiecti. Amplius, Mathematica, quæ eſt in primo gradu certitudinis, forſan quia, in ipſa faciliſſime conſtruimus demonſtrationem potiſſimam, ſemper probat paſſionem, per cauſſam paſſionis, & non ſubiecti, puta habere tres angulos æquales duobus rectis, de triangulo, per habere angulum extrinſecum æqualem duobus oppoſitis intrinſecis. Vltra has rationes, confirmatur hęc opinio auctoritatibus pluribus Ariſtotelis in ſecundo poſteriorum quadrageſimo primo, qui vult rationem primi termini eſſe medium, & nonageſimo quinto rationem .a. termini ſed primus terminus, vt ſuppoſitum fuit, eſt maior extremitas, quę eſt paſſio: ergo talis debet eſſe cauſſa: & in hoc, adducuntur plura exempla, ab Ariſtotele in eodem libro ſumpta, de eclipſi: caſu foliorum; & tonitruo, omnes iſtæ paſſiones, demõſtrãtur dę ſubiectis per cauſſas paſsionum, & non ſubiectorum, vt eclipſis per interpoſitionem, quæ eſt cauſſa obſcurationis, & non lunę: caſus foliorum, per concretionem humoris in ramis, quæ eſt cauſſa caſus: & non rami: tonitruum, per extinctionem ignis, quæ eſt cauſſa ſoni, & non nubis: quare, & rationibus, & auctoritatibus, & exemplis firma remanet hæc opinio. Quòd autem debeat medium eſſe cauſſa formalis, potius, quàm ſub alio genere cauſſæ, & ſi pluribus rationibus hoc poſsit probari, quia tamen, nemo ſanę mentis huic ibit inficias hac potiſsimum ratione fundabitur. Nempè, medium

Quin. ratio.

Sexta ratio.

debere eſſe cauſſam propter quam res eſt, hæc autem eſt cauſſa formalis, cum ipſi efficienti competat vnde motus, fini, gratia cuius, materie, ex qua fit, formæ autem quod quid eſt eſſe rei, quod poſtea altioribus rationibus pro fundamento noſtræ opinionis comprobabimus. Quod autem potius ſub nomine cauſſę, quam ſub nomine definitionis debeat tractari hæc quæſtio, crediderim, hac potiſſimum ratione fuiſſe motos, quia paſſio proprie diffinitionem non habet, cum ſit accidens, vt habetur ſeptimo Methaphiſices, ſed cauſſam, medium dicunt. Hanc opinionem, de medio demonſtrationis potiſsimæ corroborant, qui Auerroys tutelam tenent, non ſolum his rationibus, & auctoritatibus, ſed etiam autoritate Themi. Philoponi, & Euſtratij, & plurium latinorum, inter quos inſerunt diuum Thomam, & neſcio, qua ratione, cum ipſe cõtrariam opinionẽ (vt dicam poſtea) videatur ſequi, in hoc tantum reprehendunt grecos, & latinos, quia ſub nomine definitionis videntur mouere, & determinare hoc quæſitum, dicunt enim definitionem paſsionis eſſe mediũ.

RATIONES CONTRA AVERROIS opinionem adducuntur. Cap. XVI.

ET ſi minimè ignorem me ſub cenſuram diſertiſsimorum virorum caſurum, & eorum iuditio me nimis audacem forſan iudicantium, cum auſus ſim commentatoris Auerroys opinionem ſui intellectus acumine, lucubratam, & à tot illuſtribus viris per tot ſecula defenſam, mei in-

genioli

geniqli viribus deſtruere, ac funditus euellere, nihilo tamen minus, ab eiſdem veniam ſpero me conſequuturum, cum id non animo oppugnandi tanti viri opinionem, agreſſus ſim, ſed vt quid ipſe etiam ſentiam, in medium afferam, nulli addictus, quod ſi ita tu etiam perpendas forſan me veram Philoſophi mētem cōſequutum exiſtimabis, ſin minus, ex hoc aliis occaſio perquirendæ veritatis data erit. Interim has rationes, quas in medium afferam, repoſito in Auerroem amore, conſidera. Et quoniam commentatoris opinio in plures articulos diſtributa videtur; circa ſingulos arguemus, & primò contra illum articulum, in quo tenet, medium terminum demonſtrationis potiſsimæ, eſſe cauſſam vnius termini ſcilicet maioris tantum, prȩſuppono in præmiſsis talis demonſtrationis nullo pacto admitti innaturalem prædicationem, tunc ſic, ſi medius terminus, eſſet tantum cauſſa maioris, ergo in prima propoſitione, ſemper fieret innaturalis prædicatio, in ipſa etenim cauſſatum, quod eſt maius extremum, prædicatur de medio, quod illius eſt cauſſa, vbi autem cauſſatum prædicatur de cauſſa, innaturaliter prȩdicatur, vt de mente ipſiusmet Auerroys conſtat. Cui obiectioni volentes Auerroyſtæ ſatisfacere, ſatis inciderunt in foueam, quam effoderunt, dicunt enim in illa maiori propoſitione, non prȩdicari maius extremum quod eſt paſsio de medio, vt cauſſatum de cauſſa, ſed vt accidens de ſubiecto, in medio enim includitur natura ſubiecti, vt cum dico, rationale eſt riſibile, riſibile non prȩdicatur de rationali vt cauſſatum, de ſua cauſſa, ſic enim innaturalis eſſet prædicatio, ſed vt accidens proprium de ſuo ſubiecto, in rationali etenim includitur ſubiectum riſibilis, & hæc eſt rei veritas, vt alibi Pri. ratio.

H diximus

diximus. Ecce ergo quod ex hac ſolutione, ad euitandam innaturalem prædicationem coacti ſunt fateri in medio contineri naturam ſubiecti, ergo medius terminus, non ſolum eſt cauſſa paſſionis ſed ſubiecti
Secũda ratio vt probabimus etiã in noſtra poſitione. Amplius, ſcire per demonſtrationem ſimpliciter, eſt cognoſcere rem per cauſſam, propter quam res eſt, ſed res quę ſcitur per demonſtrationem eſt paſſio de ſubiecto ergo debet ſciri per cauſſam, propter quam paſsio eſt in ſubiecto, ſed paſsio eſt per ſuum ſubiectum, eſſe enim accidentis eſt alteri ineſſe, ergo non poteſt ſciri, niſi per ſuum ſubiectum, ergo medius terminus non ſolum
Tert. ratio. paſsionis ſed ſubiecti debet eſſe principium. Rurſus, eiſdem rationibus arguam contra Auerroem, quibus pro ipſo arguebatur. Si medius terminus eſſet cauſſa paſsionis, ergo in demonſtratione fieret petitio principij, quia idem per idem probaremus, vt paſsionem de ſubiecto, per definitionẽ paſsionis, quæ idem eſt re cum ipſa paſsione, nec valet dicere quòd probatur per cauſam paſsionis & non per definitionem, quia vt infra declarabitur, nõ differt cauſſa formalis, & definitio. Rurſus in demonſtratione procedere-
Quar. ratio. mus per ignota, ita enim eſt ignota paſsio de ſubiecto; ſicuti eius cauſſa formalis, imo magis ignota eſt cauſſa, quàm paſsio, cum cauſſa præſupponat eſſe paſ-
Quin. ratio. ſionis quod demonſtrari intenditur. Inſuper, ſi medius terminus eſſet tantùm cauſſa paſsionis, ad huc liceret quęrere propter quid, forma enim paſsionis cum ſit accidens, habet cauſſam propter quam ineſt ſubiecto, ſed per demõſtrationem potiſsimam ceſſat omnis quæſtio ergo &c. Amplius, ſi medius termi-
Sexta ratio. nus eſſet forma paſsiõis, ergo ipſe eſſet mediatus cũ per aliã cauſſam probari poſsit, ſed principia demon

ſtrationis

ſtrationis debent eſſe indēmonſtrabilia ergo &c. Inſuper, quod medius termin⁹ nullo pacto poſsit eſſe cauſſa formalis paſsionis, arguā irrefragabilibus ratiōibus; præſupponendo, de paſsione in demonſtratione præcognoſci tantum quid nominis, vt habet Philoſophus primo poſteriorum, quia eſſe quæritur, & demonſtratur tunc ſi medius terminus eſſet cauſſa formalis paſſionis; cum notus debeat eſſe: de paſſione non ſolum præcognoſceretur quid nominis, ſed quid rei; nec tu potes negare cauſſam formalem eſſe quid rei paſsionis, imo tuus Auerroys in primo poſteriorum aſſerit, propterea demonſtrationem potiſſimam eſſe perfectiſsimam, & præſtantiſſimam, quia continet ipſum quod quid rei, quod eſt medium in ipſa: Ex quo formo aliam validiſsimam rationem, præſupponendo de mente Ariſtotelis, quod ipſe Auerroys confirmat in ſecundo libro de cœlo, demōſtrationem potiſsimam dirigi, quando ignotum eſt eſſe, & propter quid paſſionis, vtrumq; enim quæſitum abſoluit, & dilucidat; præſupponitur ergo in demonſtratione potiſsima, eſſe paſſionis, eſſe ignotum, ſed per Ariſtotelem in ſecundo poſteriorum, impoſsibile eſt ſcire quid, & ignorare eſſe; ergo non poſſum ſcire quid paſſionis; & ignorare eſſe ipſius, hoc autem ſequeretur, ſi medius terminus eſſet cauſſa formalis paſſionis; debet enim eſſe notiſsimus; & ſic antequam concluderetur eſſe paſsionis, eſſet mihi notum quid ipſius, quod eſt impoſsibile. Per has ergo rationes patet, medium terminum in demonſtratione potiſsima, nec eſse cauſsam paſsionis tantum, nec cauſsam formalem ipipſius. Quod autem parum referat, ſiue dicatur cauſsa formalis, ſiue definitio, hinc manifeſtum eſse poterit, præſupponendo formam ipſam, vt in mate-

Septimo.ra. — *tex. 75.* — *Octa.ratio.* — *Tex.33.*

ria recipitur,ac cum eius cōditionibus, compoſitum ſingulare conſtituere, ipſiq; eſſe exiſtentiæ tribuere. Si vero conſideretur forma abſq; códitionibus, & circunſtātijs materialibus, ſic vniuerſalis eſt forma,non quia non ſit in vno quoq; ſingularium, ſed quia eſt in omnibus eadem, & iſtā forma dicitur eſſentia, & quidditas rei, & propter hoc forma dicitur fundamētum vniuerſalitatis, & hoc eſt illud duplex eſſe,quod conſiderabat Philoſophus, aliud ſcilicet eſſe, magnitudinem eſſe,& eſſe magnitudini. Forma ergo, quę eſt quidditas & eſſentia rei,cum ſit vniuerſalis,& communis, ſic dicitur cauſſa rei, cauſſa enim vt cauſſa eſt vniuerſalis, vt habet Philoſophus primo poſteriorum. Vnde ſecundum ipſum, ſi eſſemus ſupra lunam, & videremus interpoſitionem terræ, non poſſemus dicere, eſſe cauſſam obſcurationis, niſi conſideraremus ipſam eſſe eandem in omnibus. & ſemper eodem pacto fieri,vt vniuerſalis ergo eſt,ſic cauſſa dicitur,cum ergo eſſentia & quidditas ſit cauſſa rei,non debet differre quidditas, quæ definitio eſt, à cauſſa rei formali, quód Ariſtoteles, in ſecundo poſteriorum explicauit, dicens, nil aliud eſt quærere quid ſit res, quam cauſſam ipſius eſſe, ergo quidditas, & cauſſa formalis idem eſt,& propter hoc,primo de anima dicebat, principium omnis demonſtrationis eſt quod quid, & definitio rei, & ſecundo poſteriorum ab Ariſtotele, medius appellatur ratio, quæ idem eſt quod definitio, quod Auerroys etiam non negauit in primo poſteriorum,vbi demonſtrationē ſimpliciter ſupra alias ſpecies extollebat, quia continet medium, quod eſt quod quid rei,medium autem, & cauſſa idem, quod explicatius in ſecundo poſteriorum declarabat, vbi dicebat, cauſſam demonſtrationis,

Tertio de anima. Tex. 9. — *Tex. 182.* — *Cap. pri. & tex. 37.* — *Com. 11.* — *Com. 95.*

vel

vel explicari dictione ſimplici,& eſt differentia rei, vel dictione compoſita,& eſt tota definitio: & vt amplius non liceat dubitari, non ne Ariſtoteles primo, & ſecundo poſteriorum inter ſpecies definitionis vnã poſuit, quæ eſt principium demonſtrationis? Et alibi in eodem libro, vbi probabat per demonſtrationem non poſſe ſciri quid, aſſignans rationem, dicebat, quia definitio eſt principium demonſtrationis: clarius primo poſteriorum diuidens principium demonſtrationis in ſuas ſpecies enumerauit definitionem, & voluit ipſam eſſe ſpeciem principij demonſtratiui, principium autem, & medium idem, medium autem, & cauſſa idem, quare parum differt: ſiue dicas definitionem, ſiue cauſſam formalem, iſtis ergo irrefragabilibus rationibus meo iuditio Auerroys opinio labefactatur, vt ex alijs etiam pro noſtra opinione firmanda dilucidius conſtabit. Tex. 64. Tex. 46. Te. 14. Te. 14.

VERA OPINIO AD ARISTOTElis aures de medio termino demonſtrationis potiſſimæ firmatur, Cap. XVII.

VALIDISSIMIS (vt credo) rationibus opinione Auerroys deſtructa audentiuſculus, ad veram opinionem iuxta Ariſtotelis aures deſcendam, ipſamque rationibus efficaciſſimis roborabo, ex quibus ſupra habitæ opinionis falſitas magis apparebit. Pro vera itaque & cõſtanti opinione ſupponendum eſt primo, demonſtrationem accidens

accidentis eſſe, & non ſubſtantię; cauſſa huius fuit ſupra aſſignata, quam iterum repetere non pigebit, cum etenim demonſtratio mediatorum ſit, quæ cauſſam habent, ſcire.n.demonſtratiuum, eſt cognoſcere rem per cauſſam, merito accidentis tantum eſt, ſi quidem accidens ineſt ſuo ſubiecto per cauſſam, & ratio iſtius eſt, quia in alio predicamento eſt accidēs in alio, ſubiectū: ſubſtātia aūt nō habet cauſſam ſui eſſe, immediatè enim differentia eſſentialis cadit ſupra ſpeciem, ipſamq; conſtituit, cuius ratio eſt quia in eodem prædicamento eſt differentia, & id, cuius eſt, meritò ipſius ſubſtantiæ non eſt demonſtratio. Secundo, præſupponitur, quęſitum, quod per demonſtrationem ſcitur, non eſſe ſimplex, ſed compoſitum, nō enim quæritur per demonſtrationem abſolutè paſſio vel ſubiectum, ſed paſsio de ſubiecto, propter hoc

Tex. 16: dicebat Philoſophus ſecundo poſteriorum demonſtratio ſemper aliquid de aliquo eſſe, vel non eſſe de-

Tex. 9. monſtrat, & primo poſteriorum dicitur, demonſtrationem continere cauſſam concluſionis, concluſio autem ex paſsione, & ſubiecto conſtat. Tertio, præſupponitur, ante cōfectam demonſtrationem potiſsimam vtrumq; quęſitum eſſe ignotum, nempè, & eſſe

Com. 35. paſsionis, & ꝓpter quid paſsionis, hoc dicebat Auerroys ī ſecundo cœli, & alibi, ſi cōtingat vtrumq; eſſe ignotum, ad hoc dirigitur illa ſpeties demonſtrationis quæ potiſsima appellatur, hæc enim vt volebat Themiſtius vno examine vtrumq; quæſitum abſoluit, & Auerroys notificat ſimul, & eſſe, & cauſſam; His ita præſuppoſitis, tres ponuntur concluſiones. Prima, medius terminus in demonſtratione potiſsima debet eſſe cauſſa vtriuſq; termini, id eſt ſubiecti, & paſsiōis. Secunda. Cum medius terminus vtriuſq; debeat eſſe

cauſſa, ſed ſubiecti debet eſſe cauſſa formalis, & intrinſeca; paſsionis verò extrinſeca, ideſt efficiens, ſiue finalis. Tertia concluſio, in demonſtratione propter quid, non eſt inconueniens, medium terminum eſſe cauſſam paſsionis tantum. Omnes autem iſtæ concluſiones rationibus roborandæ & muniendæ ſunt: & pro prima, quod medius terminus debet eſſe cauſſa vtriuſq; termini, nemo ſanæ mentis ibit inficias, ſi obſeruauerit id quod ſuppoſuimus, cum etenim demõſtratio faciat ſcire quæſitum compoſitum, ſemper nãq; quæſitum demõſtratiuum ponit in numerum, ſiquidẽ quærimus hoc de hoc, nec abſolutè paſsionem, vel ſubiectum, ſed ſimul paſsionem de ſubiecto, ideſt, quærimus cauſſarũ vnionis illorum terminorum, vt ſi quæramus, vtrum homo ſit riſibilis, non quærimus cauſſam hominis, nec cauſſam riſibilis abſolutè, ſed cauſſam propter quam riſibile vnitur homini; ergo medius terminus debet eſſe cauſſa iſtius vnionis, ergo vtriuſq;, & ſi propterea dicitur medius, quia inter duo extrema mediat, vtiq; vtriuſq; debet eſſe cauſſa, & propter hoc dicebat Ariſtoteles, debere eſſe cauſſam concluſionis, quę ex duobus terminis conſtat, & non ex vno. Præterea vt dicebamus cõtra Auerroys opinionem, niſi medius terminus non ſolum eſſet cauſſa paſsionis, ſed etiam ſubiecti, tunc incideremus in innaturalem prędicationem, nempẽ cauſſatum, quod eſt ipſa paſsio prædicaretur de medio, vt de ſua cauſſa & ſic innaturaliter, ad euitãdum autem hoc, dicendum paſsionẽ prædicari de medio, vt accidens de ſubiecto, in medio enim includitur natura ſubiecti, vt rei veritas eſt, & ſic nõ ſolum paſſionis, ſed etiam ſubiecti principium eſſe debet.

Quòd autem debeat eſſe cauſſa formalis ſubiecti, & extrinſeca

extrinſeca paſsionis, hinc demonſtratur: & prima ratio ſit hæc, ſcire demonſtratiuum eſt ſcire rem, ſicuti eſt, ſed paſsio quæ ſcitur de ſubiecto, fluit ex principijs ſubiecti, ergo per principium ſubiecti debet ſciri. Amplius, ipſum quod quid per Ariſtotelem primo de anima, eſt principium omnis demonſtrationis, ſed quod quid propriè competit ſubiecto, & nó paſsioni (vt infra declarabitur) ergo quod quid ſubiecti, debet eſſe principium demonſtrationis. Rurſus, & hæc eſt ratio, meo iuditio inſolubilis, præmiſſæ ambæ demonſtrationis debent eſſe per ſe primi, vel ſecundi ſignificati. ſic enim in ſimpliciter ſcibilibus per ſe dicimus, vt voluit philoſophus in primo poſter: tunc quęro, minor propoſitio demonſtrationis, in qua medius terminus prædicatur de ſubiecto, cum debeat eſſe perſe, vel eſt primi, vel ſecundi ſignificati, non ſecundi, quia ſubiectum non ponitur in definitione medij, ergo primi, & ſic medius debet poni in definitione ſubiecti, ergo principium definitiuum ſubiecti. Amplius, & hęc eſt ratio deciſiua huius quæſiti. Si medius terminus, non eſſet cauſſa formalis, & intrinſeca ſubiecti, ergo poſset producere illam paſsionem in alio ſubiecto, cum non eſſet ſubiecto intrinſecus, & ſic per demonſtrationem non ſciremus accidens proprium de ſuo ſubiecto; & propter hoc Ariſtoteles in primo poſteriorum dicebat, medium, & ſubiectum debere eſſe in eadem cognatione, ob quod non licebat tranſcendere de genere, in genus, quia principia vnius ſubiecti, non poſſunt eſſe principia alterius, ergo principium per quod demōſtratur paſsio, debet eſſe intrinſecum ipſi ſubiecto: ſed quod debeat eſſe cauſſa extrinſeca paſsionis, hinc manifeſtum fiet, ſi medius terminus eſſet

cauſſa

cauſſa intrinſeca, & formalis pasſionis, tunc eſſet in eodem genere cum paſſione, forma enim, & id cuius eſt forma in eodem prædicamento ponuntur, vt voluit Ariſtoteles ſeptimo methaphiſices & ſic medius terminus eſſet accidens, & de ipſo poſſet fieri demonſtratio, & ſic demonſtratio non conſtaret ex primis, & indemonſtrabilibus; ad hoc ergo, vt medius ſit indemonſtrabilis debet eſſe in alio genere ab ipſa pasſione, & de natura ſubiecti, ſic enim erit indemonſtrabilis, ſicut & ſubiectum. Inſuper, ut dictum eſt, ſi pasſio in demonſtratione potisſima eſt ignota quo ad eſſe; quo pacto poteſt ſciri per cauſſam ſuam formalem, cum imposſibile ſit ſcire quid, & ignorare eſſe, cum ergo medius terminus debeat eſſe quod quid rei, vt uoluit Ariſtoteles, & Auerr. nec diſſentiat, nec poſſit eſſe quod quid paſſionis, relinquitur quòd ſit quod quid ſubiecti, pasſionis autē debet eſſe principium extrinſecum, ideſt, uel efficiens, vel finale, & propterea cōcludebat Philoſophus demonſtrationē cōſtare ex proprijs, ideſt, ex proprio ſubiecto, propria dignitate, & propria pasſiōe, nō poſſet cōſtare ex proprijs niſi medius eſſet de intrinſeca natura ſubiecti, ſic .n. producet, & probabit pasſionē propriā de ſuo proprio ſubiecto; Nec deſunt vltra dictas rationes, Philoſophi auctoritates, quę hanc veritatē demonſtrant, & inter multas, quæ poſſent adduci ſint hæ potisſimæ, habet Philoſophus in primo poſteriorū, tunc nos demōſtrare nō per accidens, ſed per ſe, quando demonſtramus ꝑ principia illius cui ineſt, hoc autē eſt ſubiecti, pasſio enī ē, quæ ineſt, ſubiectum ē, cui ineſt, medium, per quod ineſt: ergo tūc demōſtrāus ꝑ ſe, quādo ꝑ principia ſubiecti demonſtramus, & dabat exēplum, vt ſi oſtenderemus habere tres de triangulo, nō ꝑ accidēs, Tex. 68.

I ſed

ſed perſe, oſtenderemus, ſi per principia ipſius trianguli cui ineſt, habere tres, oſtenderemus; quid clarius ex quo textu poteſt formari optima ratio, Alia au-
tex. 61: ctoritas eſt ipſius Ariſtotelis in eodé primo libro poſteriorum, vbi dicit ad Geometram nõ pertinere omnem paſsionem lineæ, vt quòd linea recta ſit pulcherrima linearum, ſed illam paſsionem ſpectat ad ipſam conſiderare, quæ fluit ex principiis propriis lineæ, ergo ſic debet cognoſci. Vltra, eſt alia auctoritas, vbi
Tex. 155. volens probare vniuerſalem demonſtrationem, eſſe potiorem particulari, inquit nihil poſſe eſſe cauſſam, niſi inſit alicui perſe, ergo medius terminus non poſſet eſſe cauſſa, niſi inſit alicui per ſe, paſsioni non poteſt in eſſe medius, ſed potius è contra, ergo vt ſit ca-
Tex. 179. uſſa, ſubiecto debet perſe in eſſe. Inſuper, magis infra volens aſsignare cauſſam vnitatis ſcientię, dicebat illam eſſe ſcientiam vnam, quæ verſatur circa vnum ſubiectum, & quæcunq; alia conſiderat eſſe vel partes, & principia illius ſubiecti, vel eiuſdem paſsiones ergo ſubiectum debet habere ſua principia, & partes, per quas manifeſtãtur paſsiones, & illud quod dicitur de totali ſubiecto ſcientię, intelligẽdum eſt etiam de ſubiecto vnius demonſtrationis, eadem enim eſt ratio
Tex. 85. & vt hoc, luce meridiana clarius appareat, vide Ariſtotelem in ſecundo poſteriorum, vbi inter cæteros modos venandi propter quid: hunc præcipuum enumerat, vt diuidatur ſubiectum in partes omnes eſſentiales. quia illa pars ſubiecti, ad quã ſequetur paſsio, erit paſsionis cauſſa: ex quo manifeſtum eſt, partem eſſentialem ſubiecti eſſe paſsionis cauſſam. Ex his ergo rationibus, & auctoritatibus apparet hæc veritas, luce meridiana clarior, quod ſcilicet medius terminus ĩ demonſtratione potiſsima, de neceſsitate debet eſſe ca-

uſſa

uſa formalis, vel quidditas, & definitio ſubiecti, & extrinſeca, id eſt efficiens, vel finalis paſsionis, dico in demõſtratione potiſsima, quia in demõſtratione propter quid & hæc erat tertia concluſio, nõ eſt incõueniens medium terminum eſſe cauſſam paſsionis tãtum, & ratio eſt, quia cum in tali demonſtratione non ignoretur eſſe paſsionis, ſed tantum propter quid, poſſumus ex ipſo eſſe noto, dirigi ad ſciendum quid ipſius, vt habet Philoſophus in ſecũdo poſteriorum, quo *Tex. 39* habito, poſſumus demõſtrare propter quid ipſius paſſionis, ſed cum ignotum eſt eſſe, nullo pacto licet præſcire quid, patet ergo, quo modo in demonſtratione potiſsima medius terminus eſt cauſſa vtriuſq; extremi, ſed minoris formalis cauſſa, maioris verò efficiẽs vel finalis, & hęc videntur mihi dicenda ad aures Philoſophi in hac ardua quęſtione.

RATIONES PRO AVERROYS OPInione diluuntur. Cap. XVIII.

RESTAT modo, pro clariori dilucidatione quæſiti, rationes pro Auerroys opinione diluere, ſic enim vndique veritas ſibi ipſi conſtabit, prima ergo, & ſecunda ratio, præſupponunt vnum falſum nempè, illud, quod per demonſtrationem ſcitur, eſſe paſsionem tantum, & per hoc, medium debere eſſe cauſſam paſsionis, ſupra etenim fuit declaratum illud, quod per demonſtrationem ſcitur, non eſſe paſsionem tantum, ſed paſsionem de ſubiecto, quæſitum enim demonſtrationis eſt compoſitum, & propterea medium per

quod ſcitur, debere eſſe cauſſam illius vnionis, & ex cõſequenti vtriuſq; termini, propter quod dicebat Philoſophus, debere eſſe cauſſam concluſionis, & ſic rationes illæ non concludunt intentum, ſed totum oppoſitum, cauſſa enim propter quam paſsio eſt in ſubiecto, debet eſſe principium ſubiecti, à quo fluit paſsio, vt à ſua cauſſa efficiente, Tertia ratio facit pro noſtra opinione, vult enim medium, & extrema debere eſſe in eadem cognatione, ob quod, medium debet eſſe de eſſentia ſubiecti, & in eodem genere in quo ſubiectum; quia ſic producit accidens proprium, in proprio ſubiecto; non requiritur autem vt ſit cauſſa formalis, & de eſſentia paſsionis, quia tunc eſſet in eodem genere cum paſsione, & poſſet producere illud accidens, ſi non eſſet de eſſentia ſubiecti, in alio ſubiecto, & ſic non eſſet accidens proprium illius ſubiecti. Quarta ratio fuit adducta contra Auerroys opinionem, quæ benè cõtra ipſum concludit, ſed contra nos nõ habet intentum, cum.n. dicitur ſi demõſtraretur paſsio ꝑ definitionẽ ſubiecti, tunc demonſtraretur de ſubiecto, per idem ſubiectum, cum idem ſit re definitum, & definitio, & ſic petitio principii, dicebamus hoc bene ſequi ad Auerroys opinionem, ſi enim demonſtraretur paſsio per definitionem paſsionis, idem per idem oſtenderetur, ſed per definitionem ſubiecti ſecus eſt, quia ſubiectum proprie poteſt definiri, & definitio datur per partes præ notas, & cum ſubiectum debeat eſſe notum quo ad eſſe, & quid, faciliter poſſum habere ipſius definitionẽ, & quidditatem, per methodum traditam in ſecundo poſteriorum, quod non ſic contingit in paſsione, quæ pręſupponitur ignorari quo ad eſſe, & cauſſam; & ſciendo paſsionem in eſſe medio, non ſcio explicite, &

diſtincte

diſtinctè in eſſe ſuo proprio ſubiecto, donec in mino ri propoſitione explicauerim illud, quod continebatur implicite in medio eſſe ſubiectum, & medium eſſe cauſſam formalem, & definitionem ſuam; & tunc concludo quam optimè per illam cauſſam formalem ſubiecti, paſsionem in eſſe ſuo proprio ſubiecto, & ſic non idem per idem oſtenditur. Smiliter dicẽdum ad quintam, potius enim in opinione Auerroys procederemus per ignota, quàm in noſtra opinione, imo adeo per ignotum, vt impoſsibile ſit eo modo ſcire, quo nanque pacto poſſemus ſcire paſsionem per eius cauſſam formalem, cum paſsio non ſolum ſit ignota quo ad propter quid, ſed etiam quo ad eſſe, & impoſſibile ſit ex Ariſtotele ſecũdo poſteriorum ſcire quid; & ignorare eſſe, ad noſtram verò opinionem, non ſequitur hoc abſurdum, quia ſubiectum, cum ſit notum quo ad eſſe poſſumus methodo artificiali, nempè per viam compoſitionis, & diuiſionis, vt dicemus, habere quidditatem ipſius; per quam demonſtratiuè oſtendemus paſsionem de ſubiecto: Ad ſextam rationem, vbi dicitur Mathematicam, per cauſsã paſsiõis demõſtrare, vt de triãgulo, habere tres angulos æquales duob⁹ rectis, ꝑ habere angulũ extrinſecũ ęqualẽ duob⁹ oppoſitis intrinſecis; dicẽdũ, quod nunquã hoc demõſtrabit demõſtratione ſimpliciter, de qua loquimur, niſi hoc oſtendat, per quidditatem trianguli, ſic etiam volebat Philoſophus vt dictum eſt ſupra: demõſtraretur enim ſemper ꝑ accidẽs, niſi demõſtraretur per principium cui ineſt, Ad auctoritates Ariſtotelis, qui in ſecũdo poſteriorũ dicebat, ratio nẽ primi termini, &c. à; termini eſſe mediũ, dicendum, quod nunquã Ariſtoteles in illo loco loquaẽ de demõ ſtratiõe potiſsima, ſed de demõſtratiõe ꝓpter q̃d in quã, vt dictum eſt, nõ eſt inconueniens, medium eſſe

cauſſam paſsionis;uel dicendum,quod vera ratio primi termini,& paſsionis,aſsignatur per principium ſubiecti,per illud enim eſt,& cognoſci debet,et ſic ratio paſsionis,non excludit naturam ſubiecti:ſimiliter ad exempla de eclipſi,tonitruo,& caſu foliorum,quis inquam dubitabit,illa exempla,non eſſe demonſtrationis ſimpliciter, ſed propter quid: ſi enim in omnibus illis,notum eſt eſſe paſsionis,quomodo ad cognoſcendum illa,dirigetur demonſtratio ſimpliciter, Auerroys namq;.in ſecundo cœli, & ſexcentis alijs in locis aſſerit,demonſtrationẽ ſimpliciter dirigi,quãdo cõtingat ignotã eſſe paſsionẽ,quantum ad eſſe,& propter quid,& Themiſtius dicebat, ipſam vno examine vtrumq; abſoluere quæſitum,& ſi contingat eſſe paſsionis,eſſe notum,ſed ignotum propter quid, ad hoc vult dirigi aliam ſpetiem quæ propterquid appellatur:in exemplis autem dictis notum eſt eſſe eclipſis, tonitrui,& caſus foliorum,ſed tantum quæritur in eis propter quid,quod poteſt ſciri per cauſſam paſsionis, ſed perfectior erit,ſi medium nõ ſolum erit cauſſa paſsionis,ſed ſubiecti;quare valeant,qui Auerroys doctrinam profitentur; & quamuis pro confirmatione eorum opinionis, adducant auctoritates plurium Grecorum,& latinorum;annuerim,plures grecos fuiſſe huius opinionis,forſan quia iſti non diſtinxerunt inter demonſtrationẽ ſimpliciter,& propter quid, ſed non poſſum non mirari iſtos blacterones,quid ad corroborandam eorum opinionem,adducunt diuum Thomã; qui in opuſculo ſuo trigeſimo octauo,de demonſtratione:opinionem dictam,quam ſequimur videtur tueri,quam tu ſincero animo perpendendo, verisſimam iudicabis,in qua quæſtione,ſi veram Ariſtotelis mentem tetigi,ſit qui iudicet,& plaudet.

De

DE ALTERO MODO SCIENDI. Cap. I.

DIV, inter Illuſtres admodum Philoſophos, dubitatum fuit, an detur alter ſciē di modus diſtinctus, à demonſtratione; nec defuerunt, qui quicquid ſcitur, per demonſtrationem ſciri cenſuere ob quod, Ariſtoteles in primo poſteriorū, ſuppoſito eſſe per demonſtrationem ſcire, dubitatiuè præpoſuit ſe poſterius dicturum, ſi eſt alius ſciendi modus, qui locus occaſionem dubitandi dedit grauiſſimis expoſitoribus; & inquirendi, quis ſit hic alter ſciendi modus inter quos præcipuus fuit commentator Auerroys, qui voluit definitionem, eſſe alium ſciendi modum diſtinctum, à demonſtratione, de quo Ariſtoteles poſterius verba facit, ideſt in ſecundo libro; alii autem dixere, dari quidem aliud ſciendi inſtrumentum diſtinctum à demonſtratione, ſed hoc, vel topicum ſyllogiſmum eſſe uel demonſtrationem quia: Alii uerò, alium modum ſciendi, inſtrumentum illud, quo prima principia notificantur, dixere; ſingulæ autem hæ opiniones, ſeorſum examinandæ, vt ueritas peripatetica magis eluceſcat. Ab Auerroys opinione, exordium capiendo.

AVERROYS OPINIO, DE ALIO INſtrumento ſciendi, Cap. II.

DEfinitionem, tanquam aliud inſtrumētum ſciendi, in ſecundo libro poſteriorum, ab Ariſtotele tractari, aſſerit Auerroys; ibi etenim, de definitione, & de eius ſpetiebus verba facit, quæ cum ſubſtantiam notificet digni

us

us,& perfectius inſtrumentum ait eſſe ipſa demonſtra
tione,quæ accidens manifeſtat;tantoq; nobilius,quan
to ſubſtantia,accidente præſtantior,quam obrē quic
quid Ariſtoteles in primo libro dixerat,propter ſecun
dum dictum fuiſſe,aſſerit:imò ob ipſam, quicquid in
logica habetur tractatum eſſe,& propterea ipſam, fi-
nem totius logici negotii eſſe,cum ſit nobiliſſima in-
ter omnia à logico conſiderata, per ipſam etenim re
rum eſſentias ſcimus:quę opinio pluribus rationibus
confirmari poteſt;& prima ſit hæc,præſupponendo lo
gici munus eſſe,de inſtrumentis ſciendi,per tractare,
ſic enim volebat Philoſophus in ſecundo methaphiſi
ces.ſed duo ſunt inſtrumenta ſciendi demonſtratio
ſcilicet,& definitio,ergo de vtriſq; ſpectabat in logi
ca pertractare,& cum in ſecundo libro poſteriorum,
de definitione verba fiant,vt non ſit diminutus Philo
ſophus,non niſi ut ipſa eſt inſtrumentum diſtinctum
a demonſtratione tractatur,& quamuis in ſexto topi
corum,de definitione verba fiant, ibi, non vt inſtru-
mentum ſciendi de ipſa tractatur,ſed quo modo inter
quatuor illa topica problemata locum obtineat,ſicu
ti in ſeptimo Methaphiſices,de ea,vt cum eſſentia,&
quidditate rerum coincidit,de qua ibi eſt ſermo; re-
ſtat ergo in ſecundo libro poſteriorum,de definitiōe
vt eſt inſtrumentum diſtinctum à demonſtratione,tra
ctari,& hoc innuebat Philoſophus libro primo, ſi eſt
alius ſciendi modus poſterius dicetur, ideſt in ſecun
do libro,vbi de definitione,vt de alio inſtrumēto ſci
endi;& quod hæc duo tantum ſint inſtrumenta ſcien
di; patet ex hoc,quia quot ſunt ſcibilia, tot ſunt in
ſtrumenta quibus illa ſcimus,ab obiectis enim non ſo
lum ſumitur numerus inſtrumentorum, ſed etiam eo
rum conditiones & diſtinctiones,vt ſupra habitum ē,

ſed

ſed duo ſunt obiecta ſcibilia, nempè accidens & ſubſtantia, ergo duo ſunt inſtrumēta, quibus hæc ſcimus, demōſtratio qua accidēs, & definitio qua ſubſtantiā; & cum in primo, ſatis abunde, de demonſtratione habitus fuerit ſermo, reſtabat, de definitione, vt de altero inſtrumento verba facere, & cum hæc in ſecundo tractata fuerit, non eſt dicēdum, aliter fuiſſe tractatam quàm, vt aliud inſtrumētum diſtinctum à demōſtratione nec de ipſa, vt de medio demōſtrationis (vt voluit Philoponus) in ſecundo tractatum eſſe ſentiēdum, quandoquidem de medio ſatis, ſuperq; fuerit in primo tractatum, quando conditiones omnes ipſius medii abſoluerit Ariſtoteles ibi, nec medio aptari poſſunt ea, quæ de definitione in ſecundo ꝓponuntur vult enim ibi Philoſophus declarare, vtrum demonſtratione venetur quod quid, quod medium non poteſt eſſe, cum per demonſtrationem impoſſibile eſſet, ipſum venari, medium enim indemonſtrabile debet eſſe, & cum medium ſit tantum illa definitio, quæ principium demonſtrationis eſt, ſi tantum de definitione, vt de medio tractaret, fruſtra de aliis ſpeciebus definitionis egiſſet, nempè, de illa, quæ eſt concluſio, & quę ſola poſitione differens à demōſtratione, quare de definitione perſe, & vt eſt diſtinctum inſtrumentum à demonſtratione pertractatur in ſecundo libro, & ipſam eſſe alium ſciendi modum patet.

DEFINITIONEM, NON ESSE INſtrumentum ſciendi. Cap. III.

SEcuritatem dicēdi, ex ęquo lectoris animo nactus; audētius cōtra Auer. dicta inſurgere, pro veritate inuenienda non recuſabo, & prima fronte, magnum; dedecus, definitioni ab Auerroe

 tributum

tributum comperio, cum ipſam inter inſtrumenta ſcié di enumeraret, cum potius habitus per inſtrumenta ac quiſitus ſit. & quod nullo pacto inter inſtrumenta ſit enumeranda, ſic procedam: præſuppónendo tres eſ ſe ſpeties definitionis, vt Ariſtoteles habuit tum in
Tex. 64. primo, tum in ſecundo poſteriorum; vna, quæ eſt prin
Tex. 46. cipium demonſtrationis, altera, quę eſt concluſio ipſi us; & tertia quæ eſt ſola poſitione differens, à demon ſtratione; tunc videndum eſt, quæ harum ſit inſtrumé tum ſciendi: illa quæ eſt principium, non poteſt eſſe in
Optima rō. ſtrumentum diſtinctum à demonſtratione, principi um enim ipſius eſt; imo Ariſt. principiorum demon
In 2. poſteri. cap. vlti. ſtrationis dicebat eſſe vnum habitum, qui intellectus
Et 1. poſteri. tex. 21. dicitur, qui habitus eſt principium ſcientię, circa quē debemus eſſe melius diſpoſiti, quàm ſi eſſemus ſcien tes: & cum iſtorum principiorum ſit habitus, aliquo in ſtrumento venari, & acquiri debet; principium ergo demonſtrationis, non eſt inſtrumentum diſtinctum ab ipſa, ſed eius pars. Nec poteſt eſſe inſtrumentum illa definitio, quæ eſt concluſio demonſtrationis, illa etenim eſt quid acquiſitum per demonſtrationem & illius eſt alter habitus, qui dicitur ſciētia; ē enim ſci entia habitus concluſionis, per demonſtrationē acqui ſitus; Prętereà, hæc cum cōcluſio demonſtrationis ſit, non poteſt notificare ſubſtantiam, ſubſtantia enim per demonſtrationē minimē cōcludi poteſt, ſed tan tum accidēs: reſtat ergo, ſi definitio inſtrumētum ſci endi eſſet, illa utiq; eſſet, quę ſola poſitione differens à demonſtratione eſt: & hęc cum nō ſit differens à de monſtratione, niſi poſitione & ordine partium, quia quod in vna proponitur, in altera poſtponitur nullo pacto diſtinctum, & aliud inſtrumentum ab ipſa eſt; differentia enim, quę aliud facit, eſſētialis debet eſſe,

ſi ergo

ſi ergo demonſtratio,& definitio ita diſtincta eſſent,
quod definitio eſſet aliud inſtrumentum, à demõſtra
tione,non ſolum ordine, & poſitione partium differ
rent, ſed eſſentiali differentia. Amplius,Ariſtoteles
in ſecundo poſteriorum ait idem ſciri demonſtratio-
ne,& hac definitione,ſola poſitione,differente nec a-
liam eſſe differentiam,quàm in modo quærendi, vt
propter quid in tonitruo fit ſonus,q̃a extinguit ignis
in nube:& quid eſt tonitruum,eſt ſonus factus in nu-
be,ꝑpter extinctionem ignis:primum,ſcimus demõ
ſtratione, ſecundum, definitione, & idem ſcimus,
ergo non ſunt ita eſſentialiter diſtincta. Præterea, &
hæc meo iuditio eſt ſatis ardua ratio;ſi hæc definitio,
quę eſt ſola poſitione differens,à demõſtratione,eſſet
illud diſtinctum inſtrumentum vtiq; eſſet ſatis dimi-
nutum,per hanc enim non poſſemus ſcire eſſentiã ſub
ſtantiæ, ſed tantum accidentis eſſentiã, tales enim
definitiones ab Ariſtotele,octauo Methaphiſices cap.
quarto dicuntur definitiões cũ cã,& illis entibus cõ-
petere debẽt,quæ cauſſã habẽt ſui ẽe;hujuſmodi autẽ
ſunt accidẽtia,& propterea ipſa definiuntur cum cauſ
ſa:in ipſam. includitur quidditas quæ põt ẽe cõcluſio
demõſtratiõis,ob quod accidẽtis ẽ, & quidditas quæ
cã ẽ, quæ principium demonſtrationis poteſt eſſe, &
propterea ſola poſitione differẽs à demõſtratione ap
pellatur,quia concluſionẽ,& principium continet;ſub
ſtantia autẽ,cum careat cã, non definitur cum cã, &
propterea definitio ſubſtãtiæ,ẽ tãtum principium de
mõſtrationis & ſic potius ipſa ẽ cauſſa per quã demõ
ſtratur accidẽs,quã in ipſa ſit cã ſuę quidditatis. Am- 2. rõ.
plius quod definitio nõ ſit inſtrumẽtum,per quod ſci
mus quidditatẽ,cõprobari põt ex Ariſt. qui in ſecun
do priorũ aſſerebat,inſtrumẽtum in ſe cõtinere violẽ

tiam,qua acquiritur habitus quod non cadit in defini tione,ſi quidem defin itio non dicit hoc eſſe quid iſti-us,& contra negantes hãc eſſe qnidditatem alicuius, confugeremus ad auxilium ſyllogiſmi, vt ſi exempli gratia,negauerit quis,animal rationale eſſe quidditatem hominis,vtiq; ſyllogiſmo hoc comprobaretur; hoc pacto,illa eſt quidditas alicuius, quæ continet
3. ratio. omnia prædicata in quid quæ conuertuntur cum illo, iſta huiuſmodi ergo &c. Adhuc Ariſtoteles in ſecundo poſteriorum tradidit methodum,& inſtrumentum ad inueniendum definitionem rei,quę eſt per viã cõpoſitionis,& diuiſionis,vt infra dicetur, quomodo er
4. ratio. go inſtrumenti poteſt eſſe inſtrumentum ridiculum enim eſſet hoc aſſerere. Rurſus Philoſophus in principio primi poſteriorum,volens manifeſtare illam propoſitionem,omnis doctrina &c. duplici inductione, vt voluit Auerroys,ipſam manifeſtauit,prima in omnibus artibus ſpeculatiuis, ſecunda in omnibus inſtrumentis,& nullam fecit mentionem de definitione ſi ipſa eſſet inſtrumentum,vtiq; defeciſſet in probatione cum dereliquiſſet nobiliſsimum inſtrumentum,& Auerroys in commento dicebat, in definitione fieri quandam petitionem principii ſecundum quid, cum declaret notum,per quoquo pacto notius,vt ſi poneremus ſolem,in declaratione diei, & è contra,ſic facit definitio,cum ſit idem cum definito, nec differat niſi ratione:ob quod Philoſophus quaſi decidens hoc quæſitum,& declarans in ſecundo poſteriorum omnes modos inueniendi quidditatem, inter cæteros multis rationibus probabat, quidditatem non poſſe ſciri per definitionem,quas omnes infra adducemus, propter quod in eodem libro tradidit veram methodum,& inſtrumentum pro illa inuenienda, patet ergo

go ex his rationibus definitionem non eſſe inſtrumentum ſciendi, ſed bene dicam, definitionē eſſe vocem quandam ſignificantem quidditatem, nec in alio differt definitio à quidditate; ſicut enim homo ſignificat humanitatem, ſic animal rationale, ſignificat hominis quidditatem, ob quod ſemper Ariſtoteles dixit, definitio eſt oratio indicans quid eſt eſſe rei, & vt huic rei imponatur vera deciſio, vide Ariſtotelem in ſecundo poſteriorum, vt infra etiam dicemus vbi videtur determinare, an definitio ſit inſtrumentum ſciendi quidditatem rei, & de intento pluribus rationibus determinat definitione nullo pacto poſſe ſciri quidditatem rei, & inter cæteras rationes vnam ponit, quæ determinat, quæſitum de inſtrumentis ſciendi. Dicit enim, quod ſi ipſa definitio oſtenderet rei quidditatem, vtique vel demonſtratione, vel inductione oſtenderet ſi quidem non datur aliud inſtrumentum facultatis intellectiuę cognoſcentis, cum hoc, digito oſtendere non poſſet, qui eſt inſtrumentum facultatis cognoſcentis ſenſitiuę, ſi definitio eſſet inſtrumentum ſciendi quidditatem vtique ratio Ariſtotelis non concluderet; illud autem quod facit ſcire, & inuenit hanc eſſe quidditatem rei longo examine diſcutitur ab Ariſtotele in ſecundo poſteriorum: quod vt facilius habeatur perquirendum eſt, quid in illo libro pertractet Philoſophus; & cum de definitione ibi verba fiant, & non vt de altero inſtrumento, vt probatum eſt; videndum eſt ſub qua intentione de ipſa pertractetur. Cap. 7.

DE DEFINITIONE NON PER SEIPſam, ſed propter demonſtrationem tractari in ſecundo poſteriorum Cap. IIII.

DE definitione longus ſit ſermo in ſecundo libro poſteriorum, quamuis multa alia ibi tractentur, quæ ad definitionẽ nihil pertinẽt, videndum tamen eſt, num de definitione per ſe ipſam, an propter demonſtrationem pertractetur? & citra controuerſiã ſiquis mentem rectè Philoſophi perpendet, nullo pacto annuet per ſe ipſam definitionem tractari, & vltra dictas rationes, quæ ipſam minimè, vt diſtinctum inſtrumentum tractari probant; quis vnquam dicet definitionem per ſe ipſam cõſiderari, cum tres ſpecies ipſius abſoluat Philoſophus, quarum quęlibet vt pars demonſtrationis cõſideratur, dicebat enim in ſecundo poſteriorum, omnem definitionem, vel principium demonſtrationis eſſe, vel concluſionem, ipſius vel totam demonſtrationem ſola poſitione differentem, & in primo poſteriorum propterea

Tex. 64. tribuit definitioni, vt perpetuis rebus competat, quia hoc prius demonſtrationi inerat, ex conſequenti definitioni, cum ſit quæuis definitio, pars ipſius demonſtrationis; ergo de ipſa definitione, non per ſe ipſam, ſed vt pars demonſtrationis conſideratur; imò perfectam illam conditionem participat, vt ſcilicet ſit rerum æternarum, quia ipſa aliquid demonſtrationis eſt. Amplius, in ſecundo poſteriorum proponit

Cap. 2. Philoſoph. multa velle de definitiõe ptractare, inter quæ principaliter, quo pacto in demonſtratione introducatur, ergo de ipſa propter demonſtrationem tractatur; valeat ergo Auerroys, qui volebat demonſtrationem tractari propter definitionem, & propterea quicquid eſſet dictum in primo, eſſe dictum propter ſecundum; etenim, totum oppoſitum ex dictis apparet. Amplius, ſi de definitione propter ſeipſam

tractaſſet

tractaſſet Philoſ. vtiq; variaſſet inſcriptionē & maximè ſi eſſet inſtrumentum diſtinctum à demonſtratione, & nobilius ipſa: ſemper enim à nobiliori re conſiderata ſumitur inſcriptio, imò quod euidentius, eſt in fine ſecundi poſteriorum, epilogando ea quæ tractauerat in primo, & in ſecundo libro; vſq; ad illum locum, dicebat, dictum eſt de demonſtratione, & demonſtratiua ſcientia idem enim eſt, & nihilominus inter hunc tractatum erat interpoſitus tractatus de definitione, ſignum euidentiſsimum, quod vſq; ad illum locum tractauit de demonſtratione, ibi enim finitur tractatus, vbi epilogatur, & quamuis de definitione interceſſerit tractatus, non meruit nomen diſtinctum, cum conſideratum fuerit de ipſa, vt eſt pars demonſtrationis, hæc ergo eſt vera mens Philoſophi, nec aliter opinandum cenſeo, imò, propter eandem rationem quicquid tractatum eſt in ſecundo libro, propter demonſtrationem tractatum eſſe exiſtimo.

DE INVENTIONE MEDII DEMONſtratiui tractari in ſecundo libro poſteriorum. Cap. V.

VT in vnum coeat intentio eorum omnium, quæ in ſecundo libro poſt. ab Ariſtotele habentur, cum præter tractatum de definitione, multa conſiderentur, quæ, ad ipſam minime pertinere videntur, de medii demonſtratiui inuentione, ipſum tractare cenſeo, vt Euſtratius diſertiſsimus expoſitor ſentire videtur, quamuis parum conſtans in hac opinione videatur, & vt hoc menti Philoſophi correſpondeat, obſeruandum eſt,

ipſum in vltimo textu primi poſteriorum, de ſolertia verba feciſſe, eſt autem ſolertia promptitudo ad medii inuentionem, at ſi quamuis explexet Philoſophus conſiderationem de cōditionibus demonſtrationis, & præcipuè ipſius medii, operepretium erat, tractare de medii inuentione, etenim non ſufficit ſcire conditiones omnes demonſtrationis, & medii, poſſemus namq; non medium pro medio ſumere, & nō cauſſam pro quæſiti cauſſa accipere, ipſum namque medium primo debet occurrere, ad demonſtrationem conſtruendam, circa cuius inuentionem vel ſumus ſolertes, & prompti, vel ſi deeſt hæc promptitudo, ad methodum artificioſam pro ipſius inuentione recurrere debemus; & ſic cum Ariſtoteles, de ſolertia verba feciſſet in fine primi libri poſteriorum, rationi conſentaneum erat, in ſecundo, hanc artificioſam methodum, pro medio inueniendo examinare: nec dicam, quòd in ſecundo tractetur de definitione, vt de medio demōſtrationis, ac ſi de eius conditionibus, quia de his in primo libro, ſatis abundè, actum erat; multum enim refert dicere, tractare de medio, ideſt de cōditionibus medii, & de eius inuentione; nec obſtat, quod ex conditionibus declaratis in primo facile poſſet inueniri, quia hoc non ſufficit; quid enim prodeſſet ſcire, demonſtrationem conſtare ex cauſſa, ideſt continere medium, quod ſit cauſſa, niſi haberemus methodum, qua poſſemus faciliter illam inuenire, primo etenim debet in demonſtratione occurrere, & quia in demonſtratione potiſsima ipſum quod quid, & definitio rei, dicitur eſſe medium, ideo Ariſt. de inuentione quod quid, & definitionis primo verba facit, vnde poſtquā omnem viam, ad inueniendum quod quid inſufficientem, oſtendiſſet in ſexageſimo

ſimo nono textu, proponit ſe velle dicere quo pacto in eo quod quid eſt, predicata inueniantur; & cum in demõſtratione propter quid, ipſum propter quid medium eſt, merito de ipſius inuentione etiam loquitur ergo patet de inuentione medij demonſtratiui in ſecundo libro intentionem eſſe, propter quod non variauit inſcriptionem, & de definitione tractatum inter tractatum de demonſtratione incluſit, & hoc erat rationi, & ordini conſentaneum; ſic enim in libro priorum, poſtquam locutus fuerat abunde de compoſitione ſyllogiſmorum, & de conditionibus figurarum, & modorum; ſimiliter, & de ſylogiſmorum miſtionibus, in ſecunda ſectione, de inuentione medii ſylogiſtici, cui titulus eſt, quo pacto poſſemus abundare propoſitionibus, verba facit, quod etiam exequitur in libris topicorum, ibi enim poſt tractatum de compoſitione ſylogiſmi topici, de inuentione medii topici loquitur, aliud enim non ſunt, tot loci topici declarati, in tot libris, niſi prõptitudo mediorum, & locorum, à quibus poſſumus ſumere media ad omnem propoſitã materiam; ſic ergo condecens erat poſt tractatum de conditionibus demonſtrationis, & de modo, quo poſſemus componere ipſam, tractare de inuentione medii demonſtratiui, quando deficiat perſpicatia, & ſolertia, hanc ergo methodum in ſecundo abſoluit.

OMNEM QVAESTIONEM, ESSE medii quæſtionem. Cap. VI.

CVm neceſſarium ſit methodum habere, vt poſsimus faciliter demõſtratiuum medium inuenire, & quoniã ipſum quod qd, ẽ medium ĩ demõſtratiõe potiſsima

vt ſupra habitum ē, ſicuti propterquid in alia ſpetie demonſtrationis,& quoniā inuenitur, quod quæritur quæruntur autem quatuor, ſi eſt quid eſt, quia eſt, & propter quid eſt, & vnusquiſque modus, eſt de medio quęſtio, cum enim quærimus ſi eſt,& quia eſt, tum ſimpliciter, tum compoſitè, quærimus an ſit medium; cum quærimus quid eſt,& propter quid eſt, quærimus quid nam ſit illud medium; ergo omnis quæſtio, eſt quęſtio medij, nec tibi faceſſere negotium debet, quomodo in quæſtione ſimplici, ſi eſt, vtrum ſit medium quaeramus; Namque illud eſſe, quod quaerimus, eſt rei exiſtentia, quae habet medium,& cauſſam idem enim ē medium,& cauſa, eſt autem cauſſa' exiſtentiae rei, ipſa eſſentia,& quidditas; cum ergo quaerimus ſi eſt, quaerimus an ſit medium,& cauſſa exiſtētiae ipſius rei,& cum quaerimus poſtea quid ſit, quaerimus, quid ſit illa cauſſa, & medium, ideſt, quae ſit illa quidditas, quae eſt cauſſa, quod illa res exiſtat; ſimiliter dicendum in quaeſtionibus compoſitis. Cum ergo ipſum quid cadat in quaeſtione, & eſt medium demonſtrationis potiſſimae, opus eſt primo declarare methodum, qua poſſimus ipſum inuenire, deinde quo modo poſſimus inuenire propterquid, quod eſt medium in alia ſpetie demonſtrationis, hunc enim ordinē requirebat ſibi tractatus de demonſtratione, & ipſum obſeruauit Philoſophus.

NEC SYLOGISMO NEC DEMONſtratione oſtendi poſſe ipſum quod quid Cap. VII.

CVM methodum inueniendi quod quid, quod medium in demonſtratione potiſſima eſt, habere cupiamus, videndum eſt primo

num

num syllogiſmo,vel demonſtratione oſtendere,& inuenire poſſimus ipſum quod quid , & quod hoc fieri non poſſit, dubitationem habet maximam,præſupponendo,quod non ſit idem demonſtratione, & definitione ſcire,definitio namq; ipſius quid eſt, eſſe videtur,ipſum autem quid eſt,ſemper eſt vniuerſale,& affirmatiuum, ſiquidem debet omnibus ſub definito contentis competere,& quid ſit res dicere; at ſylogiſmi plures ſunt negatiui,vt in ſecunda figura,& particulares,vt qui in tertia:vltra,neque omnium affirmatiuorum,qui ſunt in prima figura poteſt eſſe definitio, ſi quidem ea quæ concluduntur affirmatiue per demõſtrationem in prima figura,non poſſunt definitionem habere, quandoquidem cum illa ſint demonſtrabilia ſcirentur (ſi per definitionem hoc poſſit fieri) non per demonſtrationem modo ſcire,quorum demonſtratio eſt,eſt demonſtrationem habere. Amplius, ea, quæ alteri accidunt, vel per ſe,uel per accidens definitione ſciri nequeunt,cum definitio ſit eſſentiæ cognitio quædam, illa autem cum alteri accidant,ſylogiſmo, vel demonſtratione tantum ſciuntur:præterea principia demonſtrationum,ſunt definitiones,quorum principiorum non ſunt demonſtrationes , quia principiorum eſſent principia;ergo illud quod definitione habetur,demonſtratione ſciri nequit. Amplius, demonſtratio ſemper monſtrat aliquid, de aliquo eſſe, vel non eſſe:definitio autem non dicit aliquid de aliquo, quia non dicit hoc eſſe quid illius , neque partes in ea adinuicem prædicantur. Vlterius, quæſita, quæ per demonſtrationem oſtenduntur, ſunt diuerſa à quaeſito definitionis, quia aliud eſt quod ſit, & quid ſit; ergo omninò diuerſum eſt illud, quod demonſtratione oſtenditur,ab ipſo quod quid, cuius eſt

 defini-

definitio. Nec per hoc, quod dicimus definitionem eſſe ipſius quod quid; exiſtimandum erit definitionem eſſe inſtrumentum, ipſum quod quid oſtendens, non enim definitio, habet dicere, hoc eſſe huius quod quid eſt, vbi namq; aliquis dixerit, hanc eſſe definitionem huius, non per hoc oſtenſum eſt, hoc eſſe potius quidditatem huius, quam aliud; attamen dicimus definitionem indicare quod quid rei, quia definitione ſignificantur ea predicata quæ dicunt quidditatem rei; Amplius, ſi ſyllogiſmo, vel demonſtratione poſſet inueniri ipſum quoquid, in hac oſtenſione fieret ſemper petitio principii, quia antequàm concluderetur ipſum quod quid,, præ acciperetur in præmiſſis, nunquam enim poſſet concludi. A. eſſe quid ipſius. C. niſi præ. acciperetur A. eſſet quid ipſius B, & B, eſſe quid ipſius C. ergo ante concluſionem haberemns quid ipſius C. patet ergo ſyllogiſmo, & demonſtratione non poſſe ipſum quod quid venari:

DIVISIONE, IPSVM QVOD QVID minime oſtendi poſſe abſolutè, & neceſſario. Cap. VIII.

Diuiſiua inſuper via, & ſi ipſa multum cõferat ad venãdum ipſum quodquid, nõ propter hoc neceſſario ipſum aſtendit, in diuiſione enim opus eſt interrogare concluſionem, & alterum membrum accipere non neceſſario; vt ſi diceremus, homo eſt animal, vel inanimatus, acciperemus eſſe animal, abſque probatione ſylogiſtica, deinde animal uel pedeſtre, vel aquaticum; acciperemus in hac diuiſione eſſe animal pedeſtre, non tamen per diuiſio-

nem hoc neceſſario inferretur inõ niſi obſeruetur regula (vt poſtea dicetur) vt in diuiſione colligantur omnia prędicata inquid ſeriatim, adeo vt poſt primũ ſecundum, & poſt ſecundum, tertium, ita vt nihilo-mictatur vſque ad vltimam differentiam, continget non colligere ſubſtantiam rei, & ſi colligatur per eam non declarari id eſſe ſubſtantiam, & inſuper poſſet non completa & perfecta definitio eſſe, cum poſſit aliquid addi, & diminui ſylogiſticè; ergo nihil oſtẽdit is, qui vtitur diuiſione, ad inueniendum quidditatem, & definitionem rei; ſed colligit, & notificat ipſam, ac ſi per inductionem, & propter hoc ad inueniẽdum ipſam conducit diuiſio, & cum non ſit omnino ignota, non ſylogiſticè, & neceſſario, ꝑ ipſam diuiſionem inuenitur ipſa definitio, ſyllogiſmus enim dirigitur ad id quod eſt naturaliter ignotum; vnde cum per diuiſionem inuentum fuerit unumquodque prædicatum inquid, ſemper reſtat locus interrogandi propter quid; vt ſi de homine fuerit inuentum per diuiſionem, quod ſit animal, mortale, bipes, aliſque carens, ſemper licet interrogare ſecundum vnum quodque predicatum cur ſcilicet ita ſit; Amplius, per diuiſionem colligimus cum diſiunctione vtrumque membrum, vt hominem eſſe animal mortale vel immortale, quod ſimul ſumptum non eſt definitio: ergo inſufficiens via ad inueſtigandum definitionem, diuiſio ipſa eſt: nec per eam neceſſario oſtenditur hoc eſſe quid illius.

NEC EX SVPPOSITIONE, IDEST nec per definitionem definitionis, nec per locum à contrario, oſtendi poſſe ipſum quod quid Cap. IX

CVM inſufficiens via ad oſtendendum quod quid ſit ipſa diuiſio videndum eſt, poſſet ne oſtendi ex ſuppoſitione, ideſt, vel per definitionem definitionis, vel per locum à contrario, vt ſi vellemus oſtendere animal rationale greſſile, eſſe hominis definitionem, & diceremus, omne quod prædicatur inquid, & conuertitur eſt definitio hominis; animal rationale greſsile prædicatur in quid de homine, & conuertitur, ergo eſt definitio hominis. Similiter ꝑ locum à contrario, per regulam, ſicut ſe habet propoſitum in propoſito, ita oppoſitum in oppoſito, vt ſi vellemus inuenire definitionẽ boni, ſupponendo definitionem mali; quia ſicuti bono opponitur malum, ſic definitioni boni, definitio mali; & ſic ſi malum erit illud, quod eſt diuiſibile, & fugiendum; ergo bonum eſt, quod eſt indiuiſibile, & amplectendum. Vtriq; viæ opponit Philoſophus principii petitionem; in prima enim ſupponeremus, in minori propoſitione definitionem, qnam concludere intendimus: dicimus enim, omne quod prædicatur inquid de homine, & conuertitur, eſt hominis definitio, ſed animal greſſile prædicatur inquid de homine, & conuertitur, ecce quod antequam inferã habeo animal greſſile eſſe prædicatum inquid hominis, quod cum ipſo conuertitur hoc autem eſt habere difinitionem; inſuper, etiam co-

mictitur petitio princip ij,in alia,per locum à contrario; namq; ſupponitur definitio vnius contrarii, ad oſtendēdum alterius contrarii definitionem,quando enim ſupponimus definitionem vnius contrarii, non poſſemus ſcire illam eſſe definitionem contrarii, niſi ſciremus alterius contrarij definitionem; ergo illud quod oſtendere cupimus præſupponimus, & ſic petitio principii.

NEC DEFINITIONE OSTENDI poſſe quod quid. Cap. X.

CAEterum, nec definitione oſtēdere poſſumus quod quid; nam ſi definiens, ipſum quod quid, & ſubſtantiā rei oſtendere poſſet, hoc vtiq; adimplebit, vel vt demonſtrans, vel vt indu tens; non vt demonſtrans quia (vt ſupra probatum eſt multis rationibus) per demonſtrationem, citra pe titionem principii, impoſsibile eſt ipſum quod quid oſtendere. Nec per inductionem, quia per ipſam non colligitur quid, ſed eſſe, vel non eſſe, ex condi tione enim, quæ i ſingularibus reperitur colligit idem competere vniuerſali, tamen non dicit quid ſit illud vniuerſale; vt ſi hoc reubarbarum purgat coleram, & hoc & hoc, ergo omne reubarbarum purgat coleram tamen non dicit quid ſit reubarbarum, cum ergo qui definit, non eſtendit quid, neq; p er demonſtrationē, neq; per inductionem, quomodo ergo oſtendet ipſum quid, ſenſu, vel digito? Exquo accipe, inſtrumenta facultatis cognoſcentis ſenſitiuę, eſſe digitum, vel aliud ſenſitiuum inſtrumentum: intellectiuæ verò inductionem, & demonſtrationem nec dari aliud in ſtrumen-

ſtrumentum,quia Ariſtoteles aliter non cōcluderet; Amplius,quòd definitio non poſſet oſtendere quid, arguit Ariſtoteles,præſupponendo impoſsibile eſſe ſcire quid,& ignorare eſſe,quia quidditas, & eſſentia,eſt rei exiſtentis,illud enim quod nō eſt,nō poteſt ſciri,niſi quo ad quid nominis; cum ergo qui definit tantum dicit quid, & non poteſt dicere eſſe,cum ſint diuerſa,& eſſe habeatur per demōſtrationem;namq; omne eſſe,quod non eſt eſſentia rei,ad demonſtrationem pertinet, Relinquitur ergo per definitionē haberi quid,& ignorari eſſe,quod eſt impoſſibile. Amplius,per definitionem dicimus aliquid eſſe hoc, non tamen dicimus,quare potius eſt hoc,quam aliud,nec hoc eſſe quid iſtius,ſemper enim licet quærere ꝓpter quid,vt ſi definitio dicat hominem eſſe animal rationale, ſed cur homo potius ſit animal rationale, quàm aliud,non dicit definitio; nec dicit,animal rationale eſſe quidditatem hominis,ergo definitio nō facit ſcire quidditatem,

ALIQVORVM ACCIDENTIVM quidditates & ſi non poſsint demonſtrari de aliquo; per demonſtrationē tamen manifeſtari poſſunt. Cap. XI.

CVm Nulla via ſufficienter,& abſq; petitione principii,hoc eſſe quid iſtius monſtrari poſsit,vidēdum eſt,num aliqua quidditas demōſtratione manifeſtari poſsit?& recte conſideranti apparet,poſſe vnam quidditatem, per aliam oſtendi,illam ſcilicet,cuius altera quidditas eſt; & hoc contingere poteſt in aliqbus accidentibus quorum definitiones, vt voluit Philoſophus in octauo Methaphiſices cap. quarto, ſunt definitiones cum cauſſa; quæ cum contineant quidditatem demō

ſtrabilem,per alia m quidditatē tanquam ꝑſuam cauſſam,demonſtrationes ſola poſitione differentes dicūtur:nunquam tamē hoc continget in definitiōe ſubſtātię,& ratio eſt quia in accidentibus, cum non habeamus verum genus,accipimus ſubiectum,cum aliquo alio accidente loco generis,quod accidens, vt inſit illi ſubiecto habet cauſſam,& ſic demonſtrari poteſt,vt ſi dicamus tonitruum eſſe ſonum in nube, ſonus cum inſit nubi, non niſi per cauſſam, & ſic habendo illam cauſam demonſtratur;ſcire enim per demonſtrationem,eſt cauſſam quæſiti habere; cum ergo poſſimus quærere propter quid ſit ſonus in nube, ſciendo propter eſtinctionem ignis,demonſtrationem habemus; ſimiliter dicendum de eclipſi,ira,& huiusmodi aliis accidentibus. At in ſubſtantijs,cum genus, & differētia inſit definito, & ad inuicem vniantur ſine cauſſa,nec locus eſt queſtioni propterquid,alia methodo earum quidditas inueniri debet,de qua infra, ſed quomodo per demonſtrationem, vna quidditas per aliam oſtendi poſſit ſciendum, vt ſupra habitum eſt, quod nullo pacto poſſumus ſcire quid,& ignorare eſſe, præſupponitur ergo illius,cuius debemus oſtendere quidditatē ſcire eſſe;& eo pacto,quo ſumus diſpoſiti circa ēe,ſic diſponimur ad cognitionē quid,poſſumus. n. eſſe rei cognoſcere & per accidens,& ꝑ partē rei, quādo per accidens ſcimus illud ēe nūquā poſſum⁹ habere quid; ſed tunc dirigimur ad qd,quādo ſcim⁹ illud ꝑ partem quidditatis & ē qñ habem⁹ gen⁹ illi⁹,cū aliqua cōditione coarctātē;exēplū vtriuſq; ſi volumus ſcire quid tonitrui,debem⁹ ſcire pri⁹ ēe ipſius,ꝗ pōt dupliciē ſciri ꝑ accidēs,vt cū ſcimus aliquos eſſe attonitos ꝑꝑ ſtrepitū,per hoc nunquā dirigemur ad ſciendum quidditatē tonitrui;ſi vero cognoſcim⁹ ēe tonitrui,ꝗ ē factus

ſonus quidam in nube, tunc ſcimus ꝑ partem rei, quia ſcimus per genus coarctatum cum illa cõditione, in qua includitur quidditas ipſius, genus enim cum ſit pars quiditatis dicitur ẽe pars rei, & ꝑ hoc dirigimur ad veram cauſſam, quæ includebatur in illa cõditione & cum hoc genus ſit accidens, quod ineſt ſubiecto per cauſſam, licet, ipſo habito quærere propter quid: quia cauſſa inuenta, & manifeſtata, ſcimus quidditatem, per aliam quidditatem, tamquam per cauſſam, & ſic per demonſtrationem, ſed qnidditates ſubſtantiarum, cum cauſſam non habeant, non poſſunt demonſtratione ſciri, ſed potius ſunt principia demõſtrationis, & nunquã cõcluſiones quæ, qua methodo inueniri poſsint, nunc dicendum.

DE VERA METHODO, QVA IPSVM qnod quid, quod pręcipuè medium in domonſtratione potiſsima exiſtit, inuenitur.

Cap. XII.

CVm ipſum quid, qnod cauſſam habet, ꝑ aliud quid demonſtratione poſsit manifeſtari, hoc nõ niſi in aliquibus accidentibus, talia enim cauſſam ſui eſſe habent, duæ ſpecies definitionis reſultant vna, quæ concluſio demonſtrationis dicitur, quæ per aliam quidditatem tamquàm per cauſſam quodãmodo demonſtratur; & altera quæ ex vtriſq. quidditatibus conſtat, in qua, cum contineatur concluſio, & cauſſa, tota demonſtratio, tantum poſitione differens appellatur, iſtæ ergo duæ ſpecies, quo pacto manifeſtari poſsint dictum eſt, reſtat modo, de vera methodo, qua ipſum quod quid inuenitur, quod medium in demonſtratione potiſsima ſemper eſt, differe: ſine hac etenim methodo fruſtra demonſtrationem cõponere

mus

mus,& hæc eſt illa definitionis ſpeties,quę principium demonſtrationis dicitur;oſtenditur autem,ex decretis Philoſophi cum illud, cuius ſubſtantiam inuenire debemus,ſub genere aliquo ponatur, quod non excedat diſciplinæ genus, eiuſq; omnia prædicata in quid colligamus, quorum ſingulum, & ſi in plus ſit, quàm definitum,omnia tamen ſimul ſumpta cum definito conuertantur,hæc enim erit ipſius ſubſtantia & quidditas;vt ſi ternarii quidditatem inuenire vellemus, ipſum ternarium ſub numero collocare debemus,& cum omnis numerus ſit par,vel impar, & impar,vel primus,quia nō componatur ex numeris, vel primus,quia nō menſuretur numeris, quodlibet prędicatum ꝑ ſe ſumptum,eſt in plus quā definitum,eſſe enim numerum alteri quā ternario competit; ſimiliter eſſe imparem,quinario;& eſſe primum quia non cōponatur ex numeris,binario; quod non mēſuretur numeris vnitati,adeo vt vnumquodq; per ſe ipſum ſumptum in plus ſit quàm ternarius, at ſi omnia coniunctim ſumantur,æqualia ſunt,& cum definito conuertuntur; ternarius enim eſt numerus impar primus vtroq; modo; ideſt nō cōponitur ex numeris ex duobus enim conſtituitur,& vnitate,quæ nō eſt numerus, ſed principium numeri,nec menſuratur numeris,vnitas enim in ſe ipſam ducta nō facit numerum, binarius in ſe ipſum ductus nō cōſtituit ternarium,ſed quaternariū;hæc ē ergo eſſētia ternarii,ex quo omnia iſta ſunt prædicata quidditatiua,quę cōuertuntur cum ternario; ſed quo pacto colligere poſsimus omnia prædicata quidditatiua rei definiendæ, in hoc maximè confert diuiſio,per ipſam enim genus,per eſſentiales differentias ſecamus,& ſic habemus omnia prædicata quidditatiua,& cum collegerimus ipſa, & deueneri-

mus ad ea,quæ ſimul ſumpta cõuertuntur cum re defi niendã,rei ſubſtantiam habemus: vltra,cõfert etiam diuiſio ad colligẽdum ſecundum ordinem,vt quod ſit primum accipiẽdum,ante ſecundum;plurimum enim refert dicere,hominẽ eſſe animal bipes manſuetum; & bipes mãſuetum animal,etenim eſſe bipes animal, dat ſuſpitionem credendi,vt quod nõ eſt animal,poſſit eſſe bipes: Inſuper confert etiã diuiſio,ne aliquid eorum,quę deſiderãtur,omictatur;in collectione enim prædicatorum in quid, poſſemus omictere aliqua, quæ præcipuè ad eſſentiam conducunt, cui, per diuiſionem prouidemus. Namq; per ipſam genus per differentias eſſentiales ſecamus, quæ totam generis naturam abſumunt,vt ſi diuideretur animal per eſſe cõtinuarum,aut ſciſſarũ alarum,in hac diuiſione cum nõ abſumatur tota animalis natura,multa enim ſunt animalia,quę alas non habent,ſignum eſt,eſſe prætermiſſa aliqua prædicata quidditatiua animalis. Vtilis ergo eſt diuiſio in quidditate colligẽda, nõ ſolum vt ordo ſeruetur inter prædicata quidditatiua,ſed etiam vt nihil neceſſarium omictatur ; nec requiritur vt (Speuſippus volebat) ad ſciendum rei naturam per diuiſionem,debere cognoſcere omnia alia,à quibus ipſa differat,hoc enim eſt impoſsibile,ipſe autem in hac ſua opinione præſupponit duo falſa: primo,nos nõ poſſe cognoſcere res diuerſas,niſi differẽtias quibus differunt cognouerimus: & ſic ad cognoſcẽdum hominis naturam,debere cognoſcere differentias eorum omnium quæ,homines nõ ſunt,hoc autẽ eſt falſum , primo,quia nõ omnia,quę diuerſa ſunt aliqua differentia diuerſa ſunt,multa enim diuerſa ſunt,& ſe ipſis differunt,vt Deus,& Materia,quę cum ſimplicia ſint,nõ habẽt differẽtiã p quã differãt,ſed ſeipſis diuerſa ſunt

ſecundo, nõ omnia quæ differunt, diuerſa ſunt: illa enim, quę accidẽtali differẽtia differunt, & nõ eſſentiali nõ ſunt diuerſa, vt ſocrates, & Plato, nõ ſunt diuerſa, & ſi adinuicem accidẽtali differẽtia differant, quæ à materia ſumitur, cum oẽs homines participatione ſpeciei ſint vnus homo. Quibus ſic declaratis, ratio ni Speuſippi reſpondetur, nõ debere definientem omnia illa, quæ, non ſunt res definita ſcire; ſufficit enim vt per diuiſionem, genus ſub quo ponitur definitum, in partes opoſitas ſecare, quę illius naturam totam abſumunt, & ſat eſt ſcire illud ſub altero membro cõtineri, at, quę continentur ſub membro oppoſito non opus eſt ſcire; ad ſciendum enim aliquod cõpoſitum, requiritur eius partes eſſentiales tenere, vt ſi exempli gratia, vellem cognoſcer hominis naturam ſufficit habere eius genus, & differentiam, quæ ſunt partes eſſentiales, ſat enim eſt ſcire ipſum contineri ſub rationali & ſi neſciamus quæ ponãtur ſub irrationali, debemus nãq; ſcire q̃d ſit res, & nõ quid nõ ſit. Colligẽdo ergo cõditiones oẽs huius methodi ꝑ quam ipſum quod quid venamur, tria obſeruãda ſunt. Primum, vt colligãtur ea quæ prędicãtur in quid, ſecundum vt recto ordine diſponãtur, adeo vt ſecundũ ponatur poſt primũ & tertiũ poſt ſecundũ: tertium eo vſq. tantũ colligere vt oia id vnũ ſint, quod ꝓponiť; Primũ preceptũ obſeruabiť ſi ea, ꝑ quæ oſtẽdeť hoc eſſe genus ipſius obſeruauerimus; multi aũt ſunt loci opportuni ad hoc oſtẽdẽdũ, de quibus abundè Ariſt. ĩ quarto topicorũ inter quos enumerať pcipuus, meo videre, vnus, vt illud dicať prędicatũ in quid, quod nõ ꝑ accidẽs dicitur, tale enim erit genus, vel definitio rei. ſecundũ præceptũ obſeruabiť, ſi illa prædicata tali ordine diſponãť, vt ſem ꝑ primũ de ſecũdo, & reliq̃s prædjceť, & nõ ẽ cõuerſo & ſecũndũ de tertio, & ſic ſucceſsiue, vt ſi ꝑ exẽ

plo,equus erit animal irrationale quatruplex hinnib i bile,ideo hæc prædicata optimo ordine diſpoſita intelliguntur,quia animal prædicatur de irrationali, cum ipſum contineat,& non è contra.ſimiliter irratio nale de quadrupedi,& quatruplex de hinnibile. Tertium autē preceptum obſeruabiť, ſi diuiſo primo genere in ſuas oppoſitas differentias,ſub altera definitū collocauerimus,ipſamq; iterum diuidemus,quouſque ad indiuiduam differentiam deſcendemus,ſicq; colligendo omnia,acerruus omnium prædicatorū, rei ſubſtantia erit,ſicq; ſpetiei ſpetialisſimæ,quę in aliā ſpetiem diuidi non poteſt,definitio depræhēditur.Quod ſi vellemus generis ſubalterni definitionem colligere diuidere oportet prius genus in ſpeties ſpetialiſsimas deinde ipſarum definitiones methodo ſupra dicta inuenire,facilius.n.definiuntur ſpetialiſsimę ſpeties quā genera,in generibus namq; latent magis æquiuocationes,demum accipiendum genus ipſius ſupremum;quibus ſic conſideratis,manifeſtum erit illud commune, in quo ſpetialiſsimæ ſpeties communicant, ſupremo generi applicatum,eſſe propoſiti generis definitionē, & vt res clarior fiat,proponatur velle inuenire definitionem animalis,prius oportet diuidere animal,in ſuas ſpeties.Puta in hominem,leonem,equum,& conſimiles,nec opus eſt,in ſingulas ſpeties ipſum diuidere, eadem .n. erit ratio,ſi in plures, vel pauciores diuidas:deinde accipiendę ſunt ſingularum definitiones, per ſupradictam methodum,ex qua apparebit hominem eſſe rem animatā ſentientem & rationalem:leonem,rem animatam ſenſitiuam rugibilem, equum rē animatā ſenſitiuam hinnibilem cum ergo omnes iſtę ſpeties animalis in re animata ſenſiente conueniāt,& ipſum animal reponiť ſub ſubſtātia: dicēdum erit ſub

ſtantiam

ſtantiā animatā ſenſiensẽ ẽe animalis definitionẽ.hęc ergo ẽ via,& methodus inueniẽdi quodquid,& definitionẽ rei,quæ principium demonſtrationis ẽ,qua poſtea in ſpeculatiuis ſcientiis vſus fuit Philoſophus. In ſecundo .n.Phiſicorum . ſic definitionẽ naturæ inuenit,per diuiſionẽ nempe eorum quæ ſunt,& per collectionem prædicatorum inquid.Sic etiā animæ definitionem, vbi propriè omnes canones hic declaratos obſeruauit;poſuit.n.animā ſub genere ſubſtātiæ, quā diuiſit in potẽtiā,& actum:& actū in primum,& ſecundū donec ꝑ collectionẽ omnium prædicatorum quidditatiuorum,definitionem cum anima conuertibilẽ inuenit,& verè animæ definitio, erat principium demonſtrationum : per ipſam .n. paſsiones animæ fuerunt demonſtratæ,vt ſibimet conſtaret, qui in primo libro de anima dixerat ipſum quodquid,eſſe principipium omnis demonſtrationis,ſic .n. vndiq; ſibi conſtat doctrina Ariſtotelis;hæc ergo habuit Philoſophus de definitione in ſecundo poſteriorum, quibus optimè conſideratis,facillimè deprehendere potes, num de ipſa definitione vt inſtrumentum diſtinctum à demonſtratione pertractauerit, vel de ipſa propter demonſtrationem;verum cum multa alia in eo libro cōſideret,quæ nil habent cum definitione, obſerua quæſo ſub qua intentione ea pertractet .

PER OMNE GENVS CAVSSAE de monſtrare licet Cap. XIII.

SAtis abundè de inuentione quod quid, quod medium in demonſtratione potiſsima eſt tractatum fuit;conſonum eſt modo,de inuentione propter quid verba facere;ſic enim adimpleta erit tractatio in ſecundo libro poſteriorum,de inuentione; medii demon-

monſtratiui,& ſic nihil ſuperflui, nec extra propoſitum ab Ariſt. in eo libro abſolutum videtur;quod nõ videtur obſeruari ab hiis qui de definitione vt de altero inſtrumento ſciendi ab Ariſtotele tractatum fuiſſe aſſerunt;multa.n. ibi habentur,quæ nihil pertinent ad definitionem;ſed priuſquam methodum inueniendi propter quid abſoluamus,operæ pretium eſt, prius conſiderare,non ſolum per ipſum quid fieri demonſtrationem,ſed &t per omne genus cauſſę,& hoc vt habeamus methodum inueniendi medium,in demõſtratione propter quid,in qua medium nõ eſt ipſum quid ſed quodlibet aliud genus cauſſæ;& vt res mãifeſta fiat,obſeruandum eſt,quamlibet cauſſam fieri aptã, vt per ipſam diluatur aliquod problema, & primo per cauſſam materialem,nulli dubium,cum propoſitiones
a.Phiſ.31. ſint materia concluſionis,medium autem eſt ambarũ propoſitionum glutimen,& ſic medium pro ſecunda intentióne,vt inſtrumentum per quod ſcitur concluſio,eſt materia concluſionis,& etiam medium pro prima intentione poteſt eſſe materia; ſi enim quærimus cur animal eſt mortale,hoc problema diluere poſſumus per cauſſam materialem,quia ſcilicet conſtat ex elementis. Per cauſſam formalem nulli dubium, ſatis enim fuit probatum ipſum quodquid eſt principium, & medium demonſtrationis, quod eſt cauſſa formalis. Per cauſſam vero efficientem,per quam ſępe abſoluimus quæſitum propter quid,præcipue cum res ſit in fieri,hinc clarum fiet, vt ſi quæramus propter quid fuit aſſumptum bellum a medis contra Athenieſes; ſic quia Athenienſes prius vnà cum Eretrienſibus, Sardos Medorum amicos abſque ratione laceſſiuere, hęc eſt cauſſa mouens Medos ad bellum,& vindictã; Per cauſſam autem finalem clarè patet, per hanc ete

nim

nim diluimus problema ꝓpter quid cum res eſt in facto eſſe, vt ſi quaeratur, propter quid ambulat, reſpondetur, vt fiat ſanus, & propter quid eſt facta domus, vt conſeruetur ſuppellex: & hæc duo exẽpla ſunt de vtroque fine, & de fine gratia cuius, quę acquiritur per motum, qui dicitur finis generationis, & de fine cui, qui dicitur finis rei genitæ, vt conſeruatio ſuppellectilium finis domus. interdum vero idem problema per duas cauſſas dilui poteſt, ſicuti per cauſſam materialem, & finalem, vt ſi quęramus propter quid lumẽ ex laterna penetrat, per cauſſam materialem, quia quod tenuium eſt partium, per maiores poros prodeat neceſſe eſt, quia ergo laterna eſt cornea, cornu vero eſt perlucidum, & latorum pororum, lumen, cum ſit partium tenuium, per poros cornu penetrare neceſſe eſt. Per cauſſam finalem reſpondemus, vt euitemus res nocuas; hic eſt finis ob quem volumus lumen penetrare ex laterna; illuminato enim aere, res noxias vitamus; & hoc non ſolum obſeruatur in rebus, quæ ſunt in facto eſſe, ſed etiam in his quæ ſunt in fieri, idem enim problema per duas cauſſas reſoluimus, vt propter quid tonat, quia fit ſonus propter extinctionem ignis in nube: ſimiliter, vt volunt Pictagorici ꝓpter finem, vt terror hiis iniiciatur qui degunt in tartaro, vt fiant mitiores: & per huiuſmodi cauſſas, quàm plura problemata in rebus, quę natura conſtant, abſoluimus: vtramque enim cauſſam, & materialem, & finalẽ cõſiderat naturalis, ut ꝓpterquid dẽtes anteriores ſunt acuti, vt atterant cibum, nec poſſent cibum atterere niſi eſſent oſſei: ſimiliter dicendum in hiis, quæ futura ſunt, nec in alio eſt differentia, niſi, vt quemadmodum in his quæ ſunt, cauſſa eſt; ſic in his quę fiunt, cauſſa fit, in his quae facta ſunt, cauſſa eſt facta, & in

N his

his,quæ futura ſunt,cauſſa eſt futura , vt ſi eclipſis eſt, terra eſt in medio,fit quia terra fit in medio, eſt facta quia fuit, eſt futura, quia erit , patet ergo quod per omne genus cauſſę, & ſecundum omne tempus licet demonſtrare .

DE INVENTIONE PROPTER quid. Cap. XIIII.

PRo completo,de medii demonſtratiui inuentione tractatu , de ipſius propter quid inuentionę tractandum;per omne enim genus cauſſę licet demonſtrare ſicut oſtenſum ē;nec ſemper licitum eſt,p ipſum quid demonſtrare, cum non ſemper quæramus & eſſe,& propter quid,quod tantum per demonſtrationem ſimpliciter abſoluitur ; de cuius medii inuentione ſatis,ſuperq; dictum fuit ; reſtat modo de inuentione propter quid , verba facere , hoc enim ad logicum ſpectat,vtrum verò propter quid inuentum , ſit cauſſa efficiens , vel finalis,illius ſcientiæ erit diſcernere,cuius erit proprium problema , ſat enim eſt ſi logicus dicat , hoc problema non oſtendi per quid ſed propter quid , pro cuius inuentione notanda eſt methodus,præſupponendo prius,nil aliud eſſe propter quid,quàm externa cauſſa maioris termini,id eſt paſſionis,quæ ipſam in minori locat;ſicuti,& ipſum quid erat cauſſa interna ſubiecti,cum ergo volumus inuenire propter quid oportet primo ſumere ſubiectum, quæſiti,ipſumq; diuidere in partes omnes eſſentiales proximas,& remotas ex quibus conſtituitur, de inde conſiderare,quæ nam accidentia,& quæ paſſiones,ſingulas eius partes conſequantur , ſecundum ordinem

tamen,vt primo ponantur partes communiores, earumq; partium ordinatè accidentia ſpeculandum, ſic etenim habebimus propter quid,quia ea pars ſubiecti,ad quam ſequitur prædicatum quęſiti, erit propter quid ipſius; hæc autem ſpeculatio accidentium ſcilicet,quæ partes ſubiecti ſequuntur, ad illam ſcientiam ſpectabit,cuius illud ſubiectum eſt pars, & vt exemplo res clarior fiat, quæratur,propter quid aquila habet ſciſſas pennas? pro habendo propter quid iſtius,diuidatur Aquila ī partes eſſentiales,quæ erunt quod ſit animal,quod ſit auis,& quod ſit ſilueſtris auis deinde ponantur ea, quę conſequuntur ſingulas iſtas partes,& primo ad animal ſequitur ſentire, & moueri,& alia,inter quæ non eſt eſſe ſiſſi pennæ, quia multa animalia ſunt, quę pennis carent;ergo animal non eſt propter quid propoſiti problematis,ſimiliter nec eſt auis ſilueſtris,quia multæ ſunt aues domeſticæ quę habent etiam ſciſſas pennas, ſed quia omnis auis ſic eſt,nec reperitur animal,quod habeat ſciſſas niſi auis ergo eſſe auem,eſt cauſſa propterquam aquila habet ſciſſas pennas. Quòd ſi diuiſo ſubiecto ipſum propter quid non apparebit, alia via docet Philoſophus ipſum inuenire,tunc enim conſideranda erunt ſubiecti accidentia,& ea,quæ accidētibus illis adueniunt, ac de illis prędicātur,ſic enim cognoſcetur,quid nam ſit in cauſſa illius paſsionis,vt ſi pro exemplo quæratur,propter quid ceruus dētibus ſuperioribus careat? inſpicienda ſunt accidentia illius (ſi per diuiſionem non fuerit inuenta cauſſa) quia ſi de aliquo accidente prædicabitur illa paſsio,illud accidens erit cauſſa, propter quam illa paſsio ineſt: & ſic inueniemus eſſe cornigerum, cauſſam propter quam ceruus dentibus ſuperiorib⁹ careat,omne enim animal cornua ge

rens hoc affectione præditum eſt,& ad carentiam den tium ſequitur aliud accidens, cuius primum eſt, cauſſa; nempè habere omaſum, eſt enim omaſum venter quidam, in quo bis manſum cibum reponunt: cum enim careant hujuſmodi animalia cornigera dentibus ſuperioribus, non poſſunt benè atterere ci bum, & ſic in vno ventre ita parum diminutus, de mandatur, dèinde iterum ad os reicitur, vt melius comminuatur, quod ruminare dicunt, & cum probè fuerit attritus, ad omaſum committitur, vt chilus poſſit fieri: habere ergo cornua, eſt cauſſa, vt non ha beant dentes ſuperiores quod eſt in cauſſa vt oma-ſum habeant; Tertius modus potiundi propter quid eſt ex rationum ſimilitudine, vt ſi aliquid competat aliquibus differentibus ſpetie, vel genere, cauſſa, vt illud in illis diuerſis cōpetat eſt idem ſecundum proportionem, vt ſic ſe habet os in animalibus quatrupedibus, ſicuti ſpina in piſcibus, & ſæpium in ſepia ex quo enim iſta diuerſa nō habent aliquod cōmune, quod ſit vnum idem in omnibus, accipitur ex rationū ſimilitudine idem ſecundum proportionem; & ſic ve-ſtiri carnibus, ineſt omnibus his diuerſis penes illud, cōmune, quod ſecundum proportionē eſt idem, vt os ſpina, & ſæpium. Hinc aliud patet, eadem reputari pro blemata diuerſorum, quando idem medium habent, ergo ab identitate medii, & non rerum quæſitarum, eadem problemata dici debent; intelligo idem medi um genere, vt ſi quęrať, cur fiat echo; cur in ſpeculis vi ſio & cur fiat iris? dicunť iſta eadē ꝓblemata quia idē eſt genere medium, & ſi ſpetie differat, vt repercuſsio eſt medium, & cauſſa, quę genericè eadē eſt in omnibus, ſpetie verò differt, quia in echo repercuſsio eſt aeris, in ſpeculo radii viſualis (vt proſpectiui loquē-

do)&

do) & iridis repercuſſio eſt radii ſolaris ; & ſic patet qua via & quibus modis ipſum propter quid in veniri licet, quibus ita conſideratis facillime iudicari pōt, quicquid ab Ariſtotele tractatum fuerit in ſecundo libro poſteriorum, propter demōſtrationem fuiſſe conſideratum, de inuentione enim medii demōſtratiui in eo libro fuiſſe tractatum ſatis cōſtat; idcirco finito tractatu de inuentione propter quid, & de proportione cauſſæ ad cauſſatum ; ſtatim epilogat ſe tractaſſe de ſyllogiſmo, demonſtratione, & ſcientia demonſtratiua, quæ fuerant propoſita in proœmio libri priorum ; ex quo capi pōt totum tractatum ſecundi libri vſq; ad illum textum poni inter tractatum de demonſtratione & hoc rationi conſonum eſt, namq; ſatis euidenter cōſtat, ſi proceſſus philoſophi obſeruetur de inuentione medii demonſtratiui, in illo libro, habitum fuiſſe ſermonē, & ꝓpter hoc mirandum eſt de his, qui non perpendentes textus Philoſophi, ea volunt tractari ; quæ nunquā ſomniaſſet, & quamuis de definitione aliqua verba fiant, eam tamen non propter ſe ipſam, ſed vt partem demonſtrationis tractari patet, & quia in demonſtratione potiſsima locum medii termini obtinet, ideo de ipſius quid, quod definitione ſignificatur, inuentione tractari, non ergo, vt inſtrumentum ſciendi, vt voluit Auerro. ipſam definitionem conſiderari autumo, ſiquidem ex ſupra habitis ſatis conſtat.

RATIONIBVS AVERROYS SATISfit, quibus probabatur definitionem tractari, vt inſtrumentum diſtinctum à demonſtratione. Cap. XV.

ET

ET ſi ſatis euidenter oſtenſum fuerit, definitionem non eſſe inſtrumentum ſciendi diſtinctum à demonſtratione, & propterea viſum fuerit, ſub qua intentione, de ipſa in ſecundo libro actum ſit, pro completa tamen doctrina, rationibus Auerroys, quibus comprobabatur, definitionem eſſe aliud inſtrumentum ſciendi, & de ipſa ſub hoc modo conſiderandi in ſecundo libro fuiſſe tractatum, ſatisfacere oportet. Erat ratio Auerroys quæ videbatur magni momenti, ad quam cæteræ concurrunt: ad logicum ſpectare, de inſtrumentis ſciendi tractare, quæ cum ſint duo tãtum, demõſtratio, qua accidens ſcimus, & definitio qua ſubſtantiam, nimis fuiſſet diminutus Ariſtoteles, ſi cum ſufficienter de demonſtratione in primo tractaſſet, de definitione tractatum omiſiſſet: ob quod iure, propoſito modo ſciendi per demonſtrationem, ſubdebat, ſi eſt alius ſciendi modus poſterius dicetur; quaſi vellet dicere, in ſecundo tractandum eſſe de definitione, vt eſt alius ſciendi modus, non enim de ipſa vt de medio, quia de conditionibus medii abſoluerat in primo, & non ſolum in ſecundo, definitio, quæ eſt principium, & medium demonſtrationis conſideratur; ſed & quę concluſio, & quę ſola poſitione differens; hec eſt omnium rationum Auerroys ſumma, pro quarum ſolutione annuendum eſt cum ipſo, ad logicum ſpectare, de inſtrumentis ſciendi tractatum, ſed cum dicitur definitionem eſſe aliud inſtrumentum ſciendi, crediderim ſatis conſtare ex ſupradictis, hoc non eſſe ad mentem Philoſophi. Definitionem enim potius habitum, quàm inſtrumentum aſſeruit, & cum dicitur definitione ſciri ſubſtantiam, ſatis manifeſtum eſſe arbitror ex decretis Philoſophi, definitionem

tionem non eſſe, niſi orationem ſignificantem quidditatem, ſed quod hęc ſit iſtius quidditas, à definitione non haberi, ſi Ariſtoteli credendum, qui in ſecundo poſteriorum pluribus rationibus hoc probauit, manifeſtabitur autem, quidditas, quę cauſſam habet per demonſtrationem; huius modi enim quidditas accidenti competit, quæ cum cauſſam habeat, per demonſtrationem manifeſtari poteſt, & hæc eſt illa ſpecies definitionis, quę concluſio demonſtrationis appellatur, & aceruus iſtarum quidditatum, illius ſcilicet, quæ per aliam quidditatem tamquàm per cauſſam concluditur, dicitur demonſtratio tota, ſola poſitione differens, & hoc pacto manifeſtatur. Illa verò quę eſt principium demonſtrationis non poteſt demonſtratione venari, principii enim, non eſt principium, ſed compoſitione, & diuiſione, hoc enim pacto, hoc eſſe quid iſtius inuenitur, nec aliter opinandum, ſi mentem Philoſophi obſeruauerimus, & ſic non de ipſa, vt de medio, in ſecuddo tractari ſentio: longè enim differt dicere, de definitione tractari, vt de medio, ideſt, de conditionibus medii, & de ipſa, vt de inuentione medii, primo enim modo in primo libro tractatum fuit, altero autem in ſecundo; ſed quid per alium ſciendi modum, de quo intendebat poſterius verba facere, intelligat; cum definitio non ſit, audi quæſo, & obſerua; ea enim dicam, quæ veram mentem Philoſophi ſapiant.

Alium

ALIVM MODVM SCIENDI, ESSE illum, quo prima principia notificantur, Cap. XVI.

CVM viſum fuerit, definitionem non eſſe alium modum ſciendi; de quo poſterius intendebat Philoſophus verba facere, reſtat modo videre pro complemento doctrinæ, quam à principio propoſueramus, quid intelligat per alium ſciendi modum, & quis ſit; nec vnquam mihi arriſit opinio illorum, qui per alium modum ſciendi, intelligebant demonſtrationem quia, cum hæc inter tractatum de demonſtratione fuerit abſoluta, nec dicitur alius ſciendi modus, & ſi per effectum procedat, cum nomen demonſtrationis, ipſi etiam competat; ſimili ratione obiurgandi, qui per alium ſciendi modum, topicum ſylogiſmum intelligunt, hic namque non dicitur modus ſciendi, cum nõ faciat ſcire, inuentiuus enim eſt tantum, vt ad omnem propoſitam materiam diſputare poſſimus, vt ergo in hoc veram mentem Philoſophi habeamus, opus eſt obſeruare verba ſua; & primo obſeruandum eſt, quod propoſito modo ſciendi, per demonſtrationem, ſtatim ſubdebat, ſi eſt alius ſciendi modus, poſterius dicetur: inſuper quod dubitatiuè dicat, ſi eſt alius ſciendi modus. Tertio, quod de hoc alio ſciendi modo, poſterius intendebat verba facere, ac ſi poſt tractatum de demonſtratione, hæc omnia obſeruantes citra controuerſiam oportet fateri, hunc alium modum ſciendi, eſſe illum quo prima principia notificantur, poſita enim demonſtratione opus eſt de modo cognoſcendi prima principia tractare, ipſa enim debent eſſe nota, & ſi non per demonſtrationem, oportet ſta-

tim

tim videre quis modus eſt, quo ipſa notificentur: ſecundo dubius erat hic modus, Antiqui enim, non cognoſcebant alium modum ſciendi, quàm per demonſtrationem, & propterea vt refert ipſemet in primo poſteriorum antiqui dicebant non dari ſcientiam, vel omnium poſſe eſſe ſcientiam, ſed per circulum; & hoc non propter aliud, niſi quia oportet prima principia ſcire, & cum ab ipſis non cognoſcebatur alius ſciendi modus quàm per demonſtrationem, per quam quia erat impoſſibile principia ſcire, ex quo in infinitum progredi opus erat, vel ad principia ignota, & ſic nõ eſſe ſcientiam fatebantur, vel per circulum: & propterea dubitatiuè dictum fuerat ab Ariſtotele, ſi eſt alius ſciendi modus: ex quo, non poſſum nõ mirari eos, qui per alium ſciendi modum definitionem intellexere. quis enim vnquam dubitauit definitionem eſſe; & niſi Ariſt. p alium ſciendi modum, modum quo prima principia cognoſcimus, intellexiſſet, vtiq; ſatis diminutus fuiſſet; & in errores antiquorum incidiſſet, nempè vel non dari ſcientiam, vel per circulum, & cum vtranque opinionem dextruxiſſet, & in textu vigeſimo primo primi poſteriorum aſſeruiſſet; nos autem dicimus, primorum principiorum eſſe ſciẽtiam, ſed non per demonſtrationem, obligauit ſemet, quaſi per æquilianum ſtipulationem, ad declarandum modum, quo hæc prima principia ſcimus. Inſuper, & tertio, promiſit, ſe poſt tractatum de demonſtratione, de hoc modo ſciẽdi verba facere; finitur autẽ tractatus de demonſtratione, vbi epilogat, & ò dij boni, quid clarius in ſecundo poſteriorum textu centeſimo epilogās ſe de ſylogiſmo & demõſtratiõe, & de mõſtratiua ſciẽtia dixiſſe, ſtatim ſtās pmiſſis īfert nūc aūt quomodo notificẽtur prima pricipia dicam⁹. hic ẽ ergo alius

O ſciendi

ſciendi modus promiſſus: certè crediderim rem hãc lucidam eſſe, vt omnino dubitationi locus non ſit.

INSTRVMENTVM, QVO PRIMA principia cognoſcimus, inductionem eſſe. Cap. XVII.

CVm ſatis clare pateat, modum alium ſciendi promiſſum in primo poſteriorum eſſe illum quo prima principia cognoſcimus, conſonum eſt rei declarare, quis ſit hic modus; & quo pacto per ipſum prima principia cognoſcamus, ſic enim Ariſtoteles ſe ordinat, & poſt tractatum de demõſtratione infert, ſe velle declarare modum, quo prima principia cognoſcimus, & quis ſit habitus per illum modum acquiſitus, de modo, quo prima principia cognoſcimus, non temerè diſputandum, ſiquidem ſatis conſtat, ex primo libro poſteriorum, per demonſtrationem, nullo pacto poſſe aliquid ſciri, niſi eius principia ſint nota, & cùm non per demõſtrationem cognoſcantur, quia principiorum, nõ ſunt principia, oportet ergo videre, vtrum illorum ſit ſciẽtia, ſicuti, & eorum, quæ per ipſa acquiruntur, & ſi non, quis habitus eorum ſit? & num ſit nobis innatus, vel acquiſitus, & ſi acquiratur ex qua præcedenti cognitione, cum ſic omnis doctrina fiat; pro quorum declaratione præſupponitur, habitus primorum principiorum, non eſſe nobis connatos, vt voluerunt aliqui, cum ſui natura intellectus ſit veluti agrapha tabella, in qua nihil eſt depictum, & ſit tantum pura potentia, vnde vt dictum eſt ſupra; cum omnimoda ignorantia puræ negationis naſcimur, relinquitur ergo, vt primorum principiorum habitus acquirantur: modus autem hic eſt, vt innata, & inſita ſit nobis quæ

dam cognoſcēdi vis, cęteris animalibus etiam communis, quæ ſenſus appellatur, hæc nobiſcum naſcitur, & obiecto preſente, ſine alia præcedente cognitione fit ſenſitiua cognitiua perceptio, inſito autem animalibus ſenſu; quibuſdā, rei, quā ſenſu cognouerūt impręſſio, ſpetiesue remanet, quibſudam vero nō remanet, adeo vt ablato ſenſibili, nihil de re, quā cognouerāt reſeruatur, & huiuſmodi animalia ſunt imperfecta, ſicuti inſecta, & anuloſa, quæ deciſa viuunt, vt vermes muſcę, & ſimilia. At in his animalibus in qbus remanet ſenſati veſtigium, quod memoria dicitur, alia exoritur differētia, quia in quibuſdā ob talium viſorum conſeruationem, vniuerſale gignitur, quibuſdam vero non gignitur. ad vniuerſale ergo cognoſcendum, hic eſt ordo, primo loco ſenſu ꝑcipimus ipſa ſingularia, quorum imagines, & ſimulacra, etiam ſenſibilibus extrinſecis abeuntibus in phantaſia conſeruantur, quæ cum præteritum repreſentent, memoriæ appellantur; ex multis memoriis poſtea, circa eandem rem, experimentum fit, ab experimento verò ſic genito, & pluries repetito, quod eſt vniuerſale ex multis memoriis adeptum, fit principium artis, & ſcientiæ: artis ſi circa res occiduas & corruptibiles verſetur: ſcientię, ſi circa res æternas. Cum enim gratia exempli, Socrati bile laboranti exhibitum eſt reubarbarum, & purgata eſt bilis: Altero die Platoni eodem humorē laboranti, iterum reubarbarum exhibitum, iſtę actiones reſeruatæ, memoriæ appellantur, adeo, vt ex multis iſtis experimentum reſultet, ſic, vt ſi aliquis eadem bile laborauerit, audemus experiri, ex reubarbaro purgare ſtatim bilem; ex quo reſultabit vniuerſale illud, quod eſt principium artis; omne reubarbarum purgat bilem, hæc autem eſt differentia, inter principium ar-

vnumquodq;, & iillud magis, intellectus ergo erit principiorum, & ipſe per inductionem acquiritur. hic eſt ergo modus cognoſcendi prima principia, & hic eſt habitus ipſorum.

NON DARI ALIVD INSTRVMENtum ſciendi, quod ad logicum pertineat, quàm demonſtratio, & inductio. Cap. XVIII.

CVm de diſcurſiuis inſtrumentis, ad logicum tractare ſpectet, aliud non dari inſtrumentum præter demonſtrationem, & inductionem ſatis ex dictis conſtat; & iterum ex obſeruantia eorum, quæ Ariſt. de inſtrumentis ſciendi loquens, habet. Et primo obſerua eius ſententiam in primo poſteriorum, qui poſito vno inſtrumento ſciendi notiſsimo apud omnes, & erat per demonſtrationem cognoſcere, ſtatim ſubdebat, ſi eſt alius ſciēdi modus poſterius dicetur; & nos probauimus per alium ſciendi modum Ariſt. intelligere modum, quo prima principia cognoſcimus, hic autem eſt inductio, vt ſatis exacte probatum fuit, & ipſe clarè aſſeruit in vltimo capite ſecundi poſteriorum ergo non eſt alius ſciendi modus quā demonſtratio, & inductio. Amplius, in ſecundo poſteriorum probans, definitione, non poſſe ſciri ipſum quod quid, dicebat, ſi per definitionem ſciretur, aut vt inducens, aut demonſtrans, ſed neutro modo, definitio facit ſcire quid, ergo nullo modo. Hæc ratio nō concluderet ſi daretur alter ſciendi modus, præter inductionem, & demonſtrationem, & hęc ratio habet maximam vim contra illos, qui tenent, definitionem eſſe aliud inſtrumentum ſciendi. Rurſus Ariſtoteles in primo poſteriorum aſſerit, deficiente ſenſu deficere ſcientiam, aſsignans huius rationem, dicebat, quia

Tex. 8. *Tex. 31.* *Tex. 134.*

O 3 quic-

quicquid ſcimus,vel ſylogiſmo,vel inductiõe ſcimus, vnde ſi deficiet ſenſus, & inductio deficiet quæ per viam ſenſus procedit,ſi inductio deficiat,cognitio primorum principiorum deficiet;quibus ignotis nõ poſſumus ſcire conclusionem,cuius eſt ſcientia ergo deficiente ſenſu,deficit ſcientia, non datur ergo alter ſciendi modus,quàm inductio,& ſylogiſmus demonſtratiuus. Eandem ſententiam habuit in ſecundo priorum capite de inductione,vigeſimo ſexto,& quod nõ ſit aliud inſtrumentum,quàm inductio,& ſylogiſmus, Auerroys tamquã à veritate coactus,in primo poſteriorum, textu primo,poſita ab Ariſtotele illa propoſitione,omnem doctrinam,& omnem diſciplinã:&c. dicebat ipſam à Philoſopho manifeſtari duplici inductione vna,facta in ſcientiis ſpeculatiuis, & altera in inſtrumentis; & diſcurrendo per omnia inſtrumenta, tantum fecit mentionem de ſylogiſmo,& inductione cætera enim ad hæc duo reducuntur,vt exemplum,& enthimema;ſi daretur aliud inſtrumẽtum,vtiq; probatio illa fuiſſet diminuta, cum omiſiſſet probare in illo alio inſtrumento,& propterea Auerro. ſibi ipſi minimè conſtans,nolebat doctrinam definitiuã ingredi illam propoſitionem,cum alibi contrarium dicat,& in eodem commento habet,definitionem non procedere ex noto ad ignotum,& propterea in ipſa, vult commicti quandam petitionẽ principii, quæ omnia cum ſint in conſideratè dicta non eſt præſentis ſpeculationis ipſa deſtruere, ex dictis enim huc vſque apparet eorum falſitas, & qualiter ab Ariſtotele ipſa definitio non numeretur inter inſtrumenta ſciendi;nec valet illorum gloſa,quòd inductio, & ſyllogiſmus tantum ſint inſtrumenta diſcurſiua, cum detur forſan aliud inſtrumentum, quod non per diſcurſum

facit ſcire,ſicuti eſt ipſa definitio: hoc autem nullius momenti eſt,quia vltra id,quod ſupra euidenter probatum fuit,definitionem nempe non eſſe inſtrumentum; pro vberiori tamen notitia dicendum, ad logicum non ſpectare,niſi de inſtrumentis diſcurſiuis:propterea enim appellatur facultas rationalis,cum ad ipſam ſpectet tractare de inſtrumentis,quibus ſcientiæ acquiruntur, vnde inſtrumentum dirigitur ad habitum,propterquod Philoſophus in ſexto ethicorum capite quarto,poſtquàm diſtinxerat habitus, loquendo de inſtrumentis quibus acquiruntur,dicebat; hæc tantum eſſe,inductionem,& ſylogiſmum, & declarãs quid acquiritur per inductionem, quid per ſylogiſmum,dicebat,inductio eſt ipſius vniuerſalis à ſingularibus;ſylogiſmus autem vniuerſalis ab vniuerſali; cum ergo vnus quiſq; habitus,iſtis tantum inſtrumentis acquiratur,ad quid ergo aliud inſtrumentum? vanum enim eſſet aliud imaginari,& qui aliter ſentiunt, mentem Philoſophi ignorant.

RATIONIBVS, QVAE HVIC DOCTRINAE, de inſtrumentis ſciendi obſtare videntur ſatisfit. Cap. XVIIII.

VT habeamus completam doctrinam de inſtrumentis ſciendi, aliquibus rationibus ſatisfacere conuenit, quæ dictis noſtris obſtare videntur, & primo; ſi per demonſtrationem accidens notificetur, nec eſt aliud inſtrumentum ſciendi quàm inductio,qua(vt dictum eſt) prima principia notificantur;ſubſtantia per quod inſtrumentum cognoſcetur? ignota ergo remaneret. Pro cuius ſolutione conſiderandum eſt,quod,vel loquimur de eo, quod ſubſtantiam ſignificat,vel de eo quod facit ſcire

hoc

hoc eſſe ſubſtantiam huius; ſi loquimur à quo ſignificatur ſubſtantia rei, hoc nihil aliud eſt, quam definitio, hæc inquam, eſt oratio ſignificans quid eſt eſſe rei, verum non facit ſcire hoc, huius eſſe ſubſtantiam; eſt enim quędam vox tantum ſubſtantiam ſignificans, non autem inſtrumentum, per quod ſubſtantiam ſcimus, contra negantem enim hanc definitionem eſſe quidditatem huius; alterius inſtrumenti adminiculo indigemus, ſicuti docuit Ariſtoteles in ſecundo poſteriorum. Si verò loquimur de modo, quo ſubſtantiam ſcimus, diſtinguendum; quia vel loquimur de modo quo accidentis ſubſtantiam, ſeu eſſentiam cognoſcimus, & hæc demonſtratione poteſt manifeſtari, accidentis enim quidditas, cum dependeat ex principio ſubiecti; per quidditatem ſubiecti oſtendi poteſt & hæc eſt definitio, quæ eſt concluſio demonſtrationis, & aggregatum iſtarum quidditatum, dicitur demonſtratio ſola poſitione differens. Vel loquimur de modo, quo ſubſtantiæ eſſentiam, ſeu quidditatem ſcimus, quæ cum ſit principium demonſtrationis, demonſtratione haberi non poteſt, ſed methodo declarata ab Ariſtotele in ſecundo poſteriorum. Nempè, per viam compoſitionis, & diuiſionis, ſicuti ſatis abundè dictum eſt ſupra. Quòd ſi aliquis vlterius inſtabit, ſi hac via, quidditatem, quæ eſt principium demonſtrationis notificamus, ad quid ergo indigemus, inductione, qua, vt dictum eſt, principia demonſtrationis notificantur; Ad quod dicendum: principium poſſe dupliciter accipi, & incomplexe, & complexe incomplexe, eſt ipſum, quod quid, quod propriè eſt medium demonſtrationis, & pro ipſo inueniendo ſatis laborauit Philoſophus, in ſecundo poſteri. ſi verò accipitur complexe, pro ut hoc ſit hoc, ideſt

pro principio, quod eſt immediata propoſitio inductione notificatur; principium enim hoc pacto acceptum, dicit eſſe vel non eſſe, ſed primo modo ſumptum nec eſſe; vel non eſſe dicit. ſed aliquis vlterius inſtabit, principia hæc demonſtrationis, non indigere inſtrumento vt notificentur, ex quo terminorum tantum declaratione indigent. Vnde Ariſto. principia cognoſcimus, quo terminos cognoſcimus. Huic dicendum, ſe mentem Philoſophi non habere; ipſe enim clarè in vltimo capite ſecundi poſteriorum declarauit, inductione prima principia notificari, & quamuis aliqua principia, terminorum tantum declaratione innoteſcant, hæc dicuntur dignitates, quas neceſſe eſt quemlibet docendum habere, & iſtę non ingrediuntur demonſtrationem, niſi virtute, cum demonſtratio ex propriis rei principiis conſtare debeat, propria autem rei principia, quæ ſuppoſitiones dicuntur, nota debent eſſe nec alio modo, quàm inductione vt voluit Philoſophus in loco allegato, nec illa, auctoritas, ita nudè intelligi debet, principia ſcilicet cognoſcimus quo terminos cognoſcimus non enim intelligitur, tantum terminorum declaratione indigere, hoc enim à vero abeſt; ſi quidem non ſufficit, in cognitione propriorum principiorum demonſtrationis, terminorum declaratio; ſed hoc pacto debet intelligi, vt principia cognoſcamus; eo habitu, quo terminos ideſt definitiones cognoſcimus; ſic enim appellantur definitiones ab Ariſt. intellectus ergo eſt principiorum, & intellectus eſt definitionum; ſunt namque definitiones, principia demonſtrationis. Et ſi vlterius inſtabis, quo pacto inductio alius ſciendi modus poſſit eſſe, cum ipſa ex communi decreto non facit ſcire dicendum de mente Philoſophi indu

ctio

mus ad ea,quæ ſimul ſumpta cõuertuntur cum re defi nienda,rei ſubſtantiam habemus: vltra,cõfert etiam diuiſio ad colligẽdum ſecundum ordinem,vt quod ſit primum accipiẽdum,ante ſecundum;plurimum enim refert dicere,hominẽ eſſe animal bipes manſuetum; & bipes mãſuetum animal,etenim eſſe bipes animal, dat ſuſpitionem credendi,vt quod nõ eſt animal,poſſit eſſe bipes: Inſuper confert etiã diuiſio,ne aliquid eorum,quę deſiderãtur,omictatur;in collectione enim prædicatorum in quid, poſſemus omictere aliqua, quæ præcipuè ad eſſentiam conducunt, cui, per diuiſionem prouidemus. Namq; per ipſam genus per differentias eſſentiales ſecamus, quæ totam generis naturam abſumunt,vt ſi diuideretur animal per eſſe cõtinuarum,aut ſciſſarũ alarum,in hac diuiſione cum nõ abſumatur tota animalis natura,multa enim ſunt animalia,quę alas non habent,ſignum eſt,eſſe prætermiſſa aliqua prædicata quidditatiua animalis. Vtilis ergo eſt diuiſio in quidditate colligẽda, nõ ſolum vt ordo ſeruetur inter prædicata quidditatiua,ſed etiam vt nihil neceſſarium omictatur; nec requiritur vt (Speuſippus volebat) ad ſciendum rei naturam per diuiſionem,debere cognoſcere omnia alia,à quibus ipſa differat,hoc enim eſt impoſsibile,ipſe autem in hac ſua opinione præſupponit duo falſa: primo,nos nõ poſſe cognoſcere res diuerſas,niſi differẽtias quibus differunt cognouerimus; & ſic ad cognoſcẽdum hominis naturam,debere cognoſcere differentias eorum omnium quæ,homines nõ ſunt,hoc autẽ eſt falſum, primo,quia nõ omnia,quę diuerſa ſunt aliqua differentia diuerſa ſunt,multa enim diuerſa ſunt,& ſe ipſis differunt,vt Deus,& Materia,quę cum ſimplicia ſint,nõ habẽt differẽtiã p quã differãt,ſed ſeipſis diuerſa ſunt

ſecundo

ſecundo,nõ omnia quæ differunt, diuerſa ſunt: illa enim,quę accidẽtali differẽtia differunt, & nõ eſſentiali,nõ ſunt diuerſa,vt Socrates,& Plato, nõ ſunt diuerſa,& ſi adinuicem accidẽtali differẽtia differant, quæ à materia ſumitur,cum oẽs homines participatione ſpeciei ſint vnus homo.Quibus ſic declaratis,ratio ni Speuſippi reſpondetur,nõ debere definientem omnia illa,quæ,non ſunt res definita ſcire;ſufficit enim vt per diuiſionem,genus ſub quo ponitur definitum , in partes opoſitas ſecare,quę illius naturam totam abſumunt,& ſat eſt ſcire illud ſub altero membro cõtineri, at,quę continentur ſub membro oppoſito non opus eſt ſcire;ad ſciendum enim aliquod cõpoſitum, requiritur,eius partes eſſentiales tenere,vt ſi exempli gratia,vellem⁹ cognoſcerẽ hominis naturam ſufficit habere eius genus, & differentiam,quæ ſunt partes eſſentiales , ſat enim eſt ſcire ipſum contineri ſub rationali & ſi neſciamus quæ ponãtur ſub irrationali;debemus nãq;ſcire qd ſit res,& nõ quid nõ ſit. Colligẽdo ergo cõditiones oẽs huius methodi ꝑ quam ipſum quod quid venamur,tria obſeruãda ſunt. Primum, vt colligãtur ea quæ prędicãtur inquid,ſecundum vt recto ordine diſponãtur,adeo vt ſecundũ ponatur poſt primũ & tertiũ poſt ſecundũ: tertium eo vſq. tantũ colligere vt oia id vnũ ſint,quod ꝓponiť; Primũ preceptũ obſeruabiť ſi ea,ꝑ quæ oſtẽderẽ hoc eſſe genus ipſius obſeruauerimus;multi aũt ſunt loci opportuni ad hoc oſtẽdẽdũ,de quibus abundè Ariſt.ĩ quarto topicorũ inter quos enumerať ꝑcipuus,meo videre,vnus, vt illud dicať prędicatũ inquid,quod nõ ꝑ accidẽs dicitur, tale enim erit genus,vel definitio rei. ſecundũ præceptũ obſeruabiť,ſi illa prædicata tali ordine diſponãť, vt ſem ꝑ primũ de ſecũdo,& reliqs prædjceťs & nõ ẽ cõuerſo,& ſecũdũ de tertio,& ſic ſucceſsiue,vt ſi ꝓ exẽ

plo,equus erit animal irrationale quatruplex hinnib i bile,ideo hæc prædicata optimo ordine diſpoſita intelliguntur,quia animal prædicatur de irrationali, cum ipſum contineat,& non è contra.ſimiliter irrationale de quadrupedi,& quatruplex de hinnibile. Tertium autē pręceptum obſeruabit̄, ſi diuiſo primo genere in ſuas oppoſitas differentias,ſub altera definitū collocauerimus,ipſamq; iterum diuidemus,quouſque ad indiuiduam differentiam deſcendemus,ſicq; colligendo omnia,acerruus omnium prædicatorū, rei ſubſtantia erit,ſicq; ſpetiei ſpetialisſimæ,quę in aliā ſpetiem diuidi non poteſt,definitio depræhēditur.Quod ſi vellemus generis ſubalterni definitionem colligere diuidere oportet prius genus in ſpeties ſpetialiſsimas deinde ipſarum definitiones methodo ſupra dicta inuenire,facilius.n.definiuntur ſpetialiſsimę ſpeties quā genera,in generibus namq; latent magis æquiuocationes,demum accipiendum genus ipſius ſupremum;quibus ſic conſideratis,manifeſtum erit illud commune, in quo ſpetialiſsimæ ſpeties communicant, ſupremo generi applicatum,eſſe propoſiti generis definitionē, & vt res clarior fiat,proponatur velle inuenire definitionem animalis,prius oportet diuidere animal,in ſuas ſpeties.Puta in hominem,leonem,equum,& conſimiles,nec opus eſt,in ſingulas ſpeties ipſum diuidere, eadem.n. erit ratio,ſi in plures, vel pauciores diuidas:deinde accipiendę ſunt ſingularum definitiones, per ſupradictam methodum,ex qua apparebit hominem eſſe rem animatā ſentientem & rationalem:leonem,rem animatam ſenſitiuam rugibilem, equum rē animatā ſenſitiuam hinnibilem cum ergo omnes iſtę ſpeties animalis in re animata ſenſiente conueniāt,& ipſum animal reponit̄ ſub ſubſtātia: dicēdum erit ſub

ſtantiam

ſtantiã animatã ſenſientẽ & animalis definitionẽ.hęc ergo ẽ via,& methodus inueniẽdi quodquid,& definitionẽ rei.quæ principium demonſtrationis ẽ,qua poſtea in ſpeculatiuis ſcientiis vſus fuit Philoſophus. In ſecundo .n.Phiſicorum . ſic definitionẽ naturæ inuenit,per diuiſionẽ nempe eorum quæ ſunt,& per collectionem prædicatorum inquid.Sic etiã animæ definitionem, vbi propriè omnes canones hic declaratos obſeruauit;poſuit.n.animã ſub genere ſubſtãtiæ , quã diuiſit in potẽtiã,& actum:& actũ in primum,& ſecundũ donec ꝑ collectionẽ omnium prædicatorum quidditatiuorum,definitionem cum anima conuertibilẽ inuenit,& verè animæ definitio, erat principium demonſtrationum : per ipſam .n. paſsiones animæ fuerunt demonſtratæ,vt ſibimet conſtaret, qui in primo libro de anima dixerat ipſum quodquid,eſſe principipium omnis demonſtrationis,ſic .n. vndiq; ſibi conſtat doctrina Ariſtotelis;hæc ergo habuit Philoſophus de definitione in ſecundo poſteriorum, quibus optimè conſideratis,facillimè deprehendere potes, num de ipſa definitione vt inſtrumentum diſtinctum à demonſtratione pertractauerit, vel de ipſa propter demonſtrationem;verum cum multa alia in eo libro cõſideret,quæ nil habent cum definitione , obſerua quæſo ſub qua intentione ea pertractet .

PER OMNE GENVS CAVSSAE de monſtrare licet Cap. XIII.

SAtis abundè de inuentione quod quid, quod medium in demonſtratione potiſsima eſt tractatum fuit;conſonum eſt modo,de inuentione propter quid verba facere;ſic enim adimpleta erit tractatio in ſecundo libro poſteriorum,de inuentione; medii demon-

monſtratiui, & ſic nihil ſuperflui, nec extra propoſitum ab Ariſt. in eo libro abſolutum videtur; quod nō videtur obſeruari ab hiis qui de definitione vt de altero inſtrumento ſciendi ab Ariſtotele tractatum fuiſſe aſſerunt; multa.n. ibi habentur, quæ nihil pertinent ad definitionem; ſed priuſquam methodum inueniendi propter quid abſoluamus, operæ pretium eſt, prius conſiderare, non ſolum per ipſum quid fieri demonſtrationem, ſed ēt per omne genus cauſſę, & hoc vt habeamus methodum inueniendi medium, in demōſtratione propter quid, in qua medium nō eſt ipſum quid ſed quodlibet aliud genus cauſſæ; & vt res mãifeſta fiat, obſeruandum eſt, quamlibet cauſſam fieri aptã, vt per ipſam diluatur aliquod problema, & primo per cauſſam materialem, nulli dubium, cum propoſitiones *2.Phiſ.31.* ſint materia concluſionis, medium autem eſt ambarū propoſitionum glutimen, & ſic medium pro ſecunda intentione, vt inſtrumentum per quod ſcitur concluſio, eſt materia concluſionis, & etiam medium pro prima intentione poteſt eſſe materia; ſi enim quærimus cur animal eſt mortale, hoc problema diluere poſſumus per cauſſam materialem, quia ſcilicet conſtat ex elementis. Per cauſſam formalem nulli dubium, ſatis enim fuit probatum ipſum quodquid eſt eſſe prīcipium, & medium demonſtrationis, quod eſt cauſſa formalis. Per cauſſam vero efficientem, per quam ſæpe abſoluimus quæſitum propter quid, præcipue cum res ſit in fieri, hinc clarum fiet, vt ſi quæramus propter quid fuit aſſumptum bellum a medis cōtra Athenienſes; ſic quia Athenienſes prius vnà cum Eretrienſibus, Sardos Medorum amicos abſque ratione laceſſiuere, hęc eſt cauſſa mouens Medos ad bellum, & vindictã; Per cauſſam autem finalem clarè patet, per hanc ete-

nim diluimus problema propter quid cum res eſt in facto eſſe, vt ſi quaeratur, propter quid ambulat, reſpondetur, vt fiat ſanus, & propter quid eſt facta domus, vt conſeruetur ſuppellex: & hæc duo exẽpla ſunt de vtroque fine, & de fine gratia cuius, quĩ acquiritur per motum, qui dicitur finis generationis, & de fine cui, qui dicitur finis rei genitæ, vt conſeruatio ſuppellectilium finis domus. interdum vero idem problema per duas cauſſas dilui poteſt, ſicuti per cauſſam materialem, & finalem, vt ſi quęramus propter quid lumẽ ex laterna penetrat, per cauſſam materialem, quia quod tenuium eſt partium, per maiores poros prodeat neceſſe eſt, quia ergo laterna eſt cornea, cornu vero eſt perlucidum, & latorum pororum, lumen, cum ſit partium tenuium, per poros cornu penetrare neceſſe eſt. Per cauſſam finalem reſpondemus, vt euitemus res nocuas; hic eſt finis ob quem volumus lumen penẽtrare ex laterna; illuminato enim aere, res noxias vitámus; & hoc non ſolum obſeruatur in rebus, quæ ſunt in facto eſſe, ſed etiam in his quæ ſunt in fieri, idem enim problema per duas cauſſas reſoluimus, vt propter quid tonat, quia fit ſonus propter extinctionem ignis in nube: ſimiliter, vt volunt Pictagorici ptopter finem, vt terror hiis iniiciatur qui degunt in tartaro: vt fiant mitiores: & per huiuſmodi cauſſas, quàm plura problemata in rebus, quę natura conſtant, abſoluimus: vtramque enim cauſſam, & materialem, & finalẽ cõſiderat naturalis, ut propterquid dẽtes anteriores ſunt acuti, vt atterant cibum, nec poſſent cibum atterere niſi eſſent oſſei: ſimiliter dicendum in hiis, quæ futura ſunt, nec in alio eſt differentia, niſi vt quemadmodum in his quæ ſunt, cauſſa eſt; ſic in his quę fiunt, cauſſa fit, in his quae facta ſunt, cauſſa eſt facta; & in

his,quæ futura ſunt,cauſſa eſt futura, vt ſi eclipſis eſt, terra eſt in medio,ſit quia terra ſit in medio, eſt facta quia fuit, eſt futura, quia erit, patet ergo quod per omne genus cauſſę, & ſecundum omne tempus licet demonſtrare.

DE INVENTIONE PROPTER quid. Cap. XIIII.

PRo completo,de medii demonſtratiui inuentione tractatu, de ipſius propter quid inuentione tractandum;per omne enim genus cauſſę licet demonſtrare ſicut oſtenſum ē;nec ſemper licitum eſt,p ipſum quid demonſtrare, cum non ſemper quæramus & eſſe,& propter quid,quod tantum per demonſtrationem ſimpliciter abſoluitur; de cuius medii inuentione ſatis,ſuperq; dictum fuit; reſtat modo de inuentione propter quid, verba facere, hoc enim ad logicum ſpectat,vtrum verò propter quid inuentum, ſit cauſſa efficiens, vel finalis,illius ſcientiæ erit diſcernere,cuius erit proprium problema, ſat enim eſt ſi logicus dicat, hoc problema non oſtendi per quid ſed propter quid, pro cuius inuentione notanda eſt methodus,præſupponendo prius,nil aliud eſſe propter quid,quàm externa cauſſa maioris termini,id eſt paſſionis,quæ ipſam in minori locat;ſicuti,& ipſum quid erat cauſſa interna ſubiecti,cum ergo volumus inuenire propter quid oportet primo ſumere ſubiectum, quæſiti,ipſumq; diuidere in partes omnes eſſentiales proximas,& remotas ex quibus conſtituitur, de inde conſiderare,quæ nam accidentia,& quæ paſſiones, ſingulas eius partes conſequantur, ſecundum ordinem

tamen, vt primo ponantur partes communiores, earumq; partium ordinatè accidentia ſpeculandum, ſic etenim habebimus propter quid, quia ea pars ſubiecti, ad quam ſequitur prædicatum quęſiti, erit propter quid ipſius; hæc autem ſpeculatio accidentium ſcilicet, quæ partes ſubiecti ſequuntur, ad illam ſcientiam ſpectabit, cuius illud ſubiectum eſt pars, & vt exemplo res clarior fiat, quæratur, propter quid aquila habet ſciſſas pennas? pro habendo propter quid iſtius, diuidatur Aquila ī partes eſſentiales, quæ erunt quod ſit animal, quod ſit auis, & quod ſit ſilueſtris auis deinde ponantur ea, quę conſequuntur ſingulas iſtas partes, & primo ad animal ſequitur ſentire, & moueri, & alia, inter quæ non eſt eſſe ſiſſi pennæ, quia multa animalia ſunt, quę pennis carent; ergo animal non eſt propter quid propoſiti problematis, ſimiliter nec eſt auis ſilueſtris, quia multæ ſunt aues domeſticæ quę habent etiam ſciſſas pennas, ſed quia omnis auis ſic eſt, nec reperitur animal, quod habeat ſciſſas nisi auis ergo eſſe auem, eſt cauſſa propterquam aquila habet ſciſſas pennas. Quòd ſi diuiſo ſubiecto ipſum propter quid non apparebit, alia via docet Philoſophus ipſum inuenire, tunc enim conſideranda erunt ſubiecti accidentia, & ea, quæ accidētibus illis adueniunt, ac de illis prędicātur, ſic enim cognoſcetur, quid nam ſit in cauſſa illius paſsionis, vt ſi pro exemplo quæratur, propter quid ceruus dētibus ſuperioribus careat? inſpicienda ſunt accidentia illius (ſi per diuiſionem non fuerit inuenta cauſſa) quia ſi de aliquo accidente prædicabitur illa paſsio, illud accidens erit cauſſa, propter quam illa paſsio ineſt: & ſic inueniemus eſſe cornigerum, cauſſam propter quam ceruus dentibus ſuperiorib⁹ careat, omne enim animal cornua ge

rens hoc affectione præditum eſt, & ad carentiam dentium ſequitur aliud accidens, cuius primum eſt, cauſſa; nempè habere omaſum, eſt enim omaſum venter quidam, in quo bis manſum cibum reponunt: cum enim careant huiuſmodi animalia cornigera dentibus ſuperioribus, non poſſunt benè atterere cibum, & ſic in vno ventre ita parum diminutus, demandatur, dèinde iterum ad os reicitur, vt melius comminuatur, quod ruminare dicunt, & cum probè fuerit attritus, ad omaſum committitur, vt chilus poſſit fieri: habere ergo cornua; eſt cauſſa, vt non habeant dentes ſuperiores quod eſt in cauſſa vt omaſum habeant; Tertius modus potiundi propter quid eſt ex rationum ſimilitudine, vt ſi aliquid competat aliquibus differentibus ſpetie, vel genere, cauſſa, vt illud in illis diuerſis cōpetat eſt idem ſecundum proportionem, vt ſic ſe habet os in animalibus quatrupedibus, ſicuti ſpina in piſcibus, & ſæpium in ſępia ex quo enim iſta diuerſa nō habent aliquod cōmune, quod ſit vnum idem in omnibus, accipitur ex rationū ſimilitudine idem ſecundum proportionem; & ſic veſtiri carnibus, ineſt omnibus his diuerſis penes illud, cōmune, quod ſecundum proportionē eſt idem, vt os ſpina, & ſæpium. Hinc aliud patet, eadem reputari problemata diuerſorum, quando idem medium habent, ergo ab identitate medii, & non rerum quæſitarum, eadem problemata dici debent; intelligo idem medium genere, vt ſi quęrat̄, cur fiat echo; cur in ſpeculis viſio & cur fiat iris? dicunt̄ iſta eadē ꝓblemata quia idē eſt genere medium, & ſi ſpetie differat, vt repercuſsio eſt medium, & cauſſa, quę genericè eadē eſt in omnibus, ſpetie verò differt, quia in echo repercuſsio eſt aeris, in ſpeculo radii viſualis (vt proſpectiui loquédo) &

do) & iridis repercuſſio eſt radii ſolaris ; & ſic patet qua via & quibus modis ipſum propter quid in veniri licet, quibus ita conſideratis facillime iudicari pōt, quicquid ab Ariſtotele tractatum fuerit in ſecundo libro poſteriorum, propter demōſtrationem fuiſſe conſideratum, de inuentione enim medii demōſtratiui in eo libro fuiſſe tractatum ſatis cōſtat; idcirco finito tractatu de inuentione propter quid, & de proportione cauſſæ ad cauſſatum ; ſtatim epilogat ſe tractaſſe de ſyllogiſmo, demonſtratione, & ſcientia demonſtratiua, quæ fuerant propoſita in proemio libri priorum ; ex quo capi pōt totum tractatum ſecundi libri vſq; ad illum textum poni inter tractatum, de demonſtratione & hoc rationi conſonum eſt, namq; ſatis euidenter cōſtat, ſi proceſſus philoſophi obſeruetur de inuentione medii demonſtratiui, in illo libro, habitum fuiſſe ſermonē, & ꝑpter hoc mirandum eſt de his, qui non perpendentes textus Philoſophi, ea volunt tractari ; quæ nunquā ſomniaſſet, & quamuis de definitione aliqua verba fiant, eam tamen non propter ſe ipſam, ſed vt partem demonſtrationis tractari patet, & quia in demonſtratione potiſsima locum medii termini obtinet, ideo de ipſius quid, quod definitione ſignificatur, inuentione tractari, non ergo, vt inſtrumentum ſciendi, vt voluit Auerro. ipſam definitionem conſiderari autumo, ſiquidem ex ſupra habitis ſatis conſtat.

RATIONIBVS AVERROYS SATISfit, quibus probabatur definitionem tractari, vt inſtrumentum diſtinctum à demonſtratione. Cap. XV.

ET ſi ſatis euidenter oſtenſum fuerit, definitionem non eſſe inſtrumentum ſciendi diſtinctum à demonſtratione, & propterea viſum fuerit, ſub qua intentione, de ipſa in ſecundo libro actum ſit, pro completa tamen doctrina, rationibus Auerroys, quibus comprobabatur, definitionem eſſe aliud inſtrumentum ſciendi, & de ipſa ſub hoc modo conſiderandi in ſecundo libro fuiſſe tractatum, ſatisfacere oportet. Erat ratio Auerroys quæ videbatur magni momenti, ad quam cæteræ concurrunt: ad logicum ſpectare, de inſtrumentis ſciendi tractare, quæ cum ſint duo tãtum, demõſtratio, qua accidens ſcimus, & definitio qua ſubſtantiam, nimis fuiſſet diminutus Ariſtoteles, ſi cum ſufficienter de demonſtratione in primo tractaſſet, de definitione tractatum omiſiſſet: ob quod iure, propoſito modo ſciendi per demonſtrationem, ſubdebat, ſi eſt alius ſciendi modus poſterius dicetur; quaſi vellet dicere, in ſecundo tractandum eſſe de definitione, vt eſt alius ſciendi modus, non enim de ipſa vt de medio, quia de conditionibus medii abſoluerat in primo, & non ſolum in ſecundo, definitio, quæ eſt principium, & medium demonſtrationis conſideratur; ſed & quę concluſio, & quę ſola poſitione differens; hec eſt omnium rationum Anerroys ſumma, pro quarum ſolutione annuendum eſt cum ipſo, ad logicum ſpectare, de inſtrumentis ſciendi tractatum, ſed cum dicitur definitionem eſſe aliud inſtrumentum ſciendi, crediderim ſatis conſtare ex ſupradictis, hoc non eſſe ad mentem Philoſophi. Definitionem enim potius habitum, quàm inſtrumentum aſſeruit, & cum dicitur definitione ſciri ſubſtantiam, ſatis manifeſtum eſſe arbitror ex decretis Philoſophi, definitionem

tionem non eſſe,niſi orationem ſignificantem quidditatem,ſed quod hęc ſit iſtius quidditas, à definitione non haberi,ſi Ariſtoteli credendum, qui in ſecundo poſteriorum pluribus rationibus hoc probauit,manifeſtabitur autem,quidditas,quę cauſſam habet per demonſtrationem;huius modi enim quidditas accidenti competit,quæ cum cauſſam habeat,per demonſtrationem manifeſtari poteſt,& hæc eſt illa ſpecies definitionis,quę concluſio demonſtrationis appellatur, & aceruus iſtarumquidditatum, illius ſcilicet, quæ per aliam quidditatem tamquàm per cauſſam concluditur,dicitur demonſtratio tota, ſola poſitione differens,& hoc pacto manifeſtatur. Illa verò quę eſt principium demonſtrationis non poteſt demonſtratione venari,principii enim,non eſt principium, ſed compoſitione,& diuiſione,hoc enim pacto, hoc eſſe quid iſtius inuenitur,nec aliter opinandum,ſi mentem Philoſophi obſeruauerimus,& ſic non dę ipſa, vt de medio, in ſecuddo tractari ſentio: longè enim differt dicere, de definitione tractari, vt de medio, ideſt, de conditionibus medii, & de ipſa, vt de inuentione medii, primo enim modo in primo libro tractatum fuit, altero autem in ſecundo; ſed quid per alium ſciendi modum, de quo intendebat poſterius verba facere, intelligat; cum definitio non ſit,audi quæſo, & obſerua; ea enim dicam, quæ veram mentem Philoſophi ſapiant.

ALIVM MODVM SCIENDI, ESSE illum, quo prima principia notifican- tur, Cap. XVI.

CVM viſum fuerit, definitionem non eſſe alium modum ſciendi, de quo poſterius intendebat Philoſophus verba facere, reſtat modo videre pro complemento doctrinæ, quam à principio propoſueramus, quid intelligat per alium ſciendi modum, & quis ſit; nec vnquam mihi arriſit opinio illorum, qui per alium modum ſciendi, intelligebant demonſtrationem quia; cum hæc inter tractatum de demonſtratione fuerit abſoluta, nec dicitur alius ſciendi modus, & ſi per effectum procedat, cum nomen demonſtrationis, ipſi etiam competat; ſimili ratione obiurgandi, qui per alium ſciendi modum, topicum ſylogiſmum intelligunt, hic namque non dicitur modus ſciendi, cum nõ faciat ſcire, inuentus enim eſt tantum, vt ad omnem propoſitam materiam diſputare poſſimus, vt ergo in hoc veram mentem Philoſophi habeamus, opus eſt obſeruare verba ſua; & primo obſeruandum eſt, quod propoſito modo ſciendi, per demonſtrationem, ſtatim ſubdebat, ſi eſt alius ſciendi modus, poſterius dicetur: inſuper quod dubitatiuè dicat, ſi eſt alius ſciendi modus. Tertio, quod de hoc alio ſciendi modo, poſterius intendebat verba facere, ac ſi poſt tractatum de demonſtratione, hæc omnia obſeruantes citra controuerſiam oportet fateri, hunc alium modum ſciendi, eſſe illum quo prima principia notificantur, poſita enim demonſtratione opus eſt de modo cognoſcendi prima principia tractare, ipſa enim debent eſſe nota, & ſi non per demonſtrationem, oportet ſtatim

tim videre quis modus eſt, quo ipſa notificentur: ſecundo dubius erat hic modus, Antiqui enim, non cognoſcebant alium modum ſciendi, quàm per demonſtrationem, & propterea vt refert ipſemet in primo poſteriorum antiqui dicebant non dari ſcientiam, vel omnium poſſe eſſe ſcientiam, ſed per circulum; & hoc non propter aliud, niſi quia oportet prima principia ſcire, & cum ab ipſis non cognoſcebatur alius ſciendi modus quàm per demonſtrationem, per quam quia erat impoſſibile principia ſcire, ex quo in infinitum progredi opus erat, vel ad principia ignota, & ſic nõ eſſe ſcientiam fatebantur, vel per circulum: & propterea dubitatiuè dictum fuerat ab Ariſtotele, ſi eſt alius ſciendi modus: ex quo, non poſſum nõ mirari eos, qui per alium ſciendi modum definitionem intellexere. quis enim vnquam dubitauit definitionem eſſe; & niſi Ariſt. p alium ſciendi modum, modum quo prima principia cognoſcimus, intellexiſſet, vtiq; ſatis diminutus fuiſſet; & in errores antiquorum incidiſſet, nempè vel non dari ſcientiam, vel per circulum, & cum vtranque opinionem dextruxiſſet, & in textu vigeſimo primo primi poſteriorum aſſeruiſſet; nos autem dicimus, primorum principiorum eſſe ſciẽtiam, ſed non per demonſtrationem; obligauit ſemet, quaſi per aquilianam ſtipulationem, ad declarandum modum, quo hæc prima principia ſcimus. Inſuper, & tertio, promiſit, ſe poſt tractatum de demonſtratione, de hoc modo ſciẽdi verba facere; finitur autẽ tractatus de demonſtratione, vbi epilogat, & ò dij boni, quid clarius in ſecundo poſteriorum textu centeſimo epilogãs ſe de ſylogiſmo & demõſtratiõe, & demõſtratiua ſciẽtia dixiſſe, ſtatim ſtãs pmiſſis ĩfert nũc aũt quomodo notificẽtur prima pricipia dicam⁹. hic ẽ ergo alius

ſciendi modus promiſſus: certè crediderim rem hãc lucidam eſſe, vt omninò dubitationi locus non ſit.

INSTRVMENTVM, QVO PRIMA principia cognoſcimus, inductionem eſſe. Cap. XVII.

CVm ſatis clare pateat, modum alium ſciendi promiſſum in primo poſteriorum eſſe illum quo prima principia cognoſcimus, conſonum eſt rei declarare, quis ſit hic modus, & quo pacto per ipſum prima principia cognoſcamus, ſic enim Ariſtoteles ſe ordinat, & poſt tractatum de demõſtratione infert, ſe velle declarare modum, quò prima principia cognoſcimus, & quis ſit habitus per illum modum acquiſitus, de modo, quo prima principia cognoſcimus, non temerè diſputandum, ſiquidem ſatis conſtat, ex primo libro poſteriorum, per demonſtrationem, nullo pacto poſſe aliquid ſciri, niſi eius principia ſint nota, & cùm non per demõſtrationem cognoſcantur, quia principiorum, nõ ſunt principia, oportet ergo videre, vtrum illorum ſit ſciẽtia, ſicuti, & eorum, que per ipſa acquiruntur, & ſi non, quis habitus eorum ſit? & num ſit nobis innatus, vel acquiſitus, & ſi acquiratur ex qua præcedenti cognitione, cum ſic omnis doctrina fiat, pro quorum declaratione præſupponitur, habitus primorum principiorum, non eſſe nobis connatos, vt voluerunt aliqui, cum ſui natura intellectus ſit veluti agrapha tabella, in qua nihil eſt depictum, & ſit tantum pura potentia, vnde vt dictum eſt ſupra; cum omnimoda ignorantia puræ negationis naſcimur, relinquitur ergo, vt primorum principiorum habitus acquirantur: modus autem hic eſt, vt innata, & inſita ſit nobis quædam

dam cognoſcēdi vis, cęteris animalibus etiam communis, quæ ſenſus appellatur, hæc nobiſcum naſcitur, & obiecto præſente, ſine alia præcedente cognitione fit ſenſitiua cognitiua perceptio, inſito autem animalibus ſenſu; quibuſdā, rei, quā ſenſu cognouerūt impreſſio, ſpeties ue remanet, quibſudam vero nō remanet, adeo vt ablato ſenſibili, nihil de re, quā cognouerāt reſeruatur, & huiuſmodi animalia ſunt imperfecta, ſicuti inſecta, & anuloſa, quæ deciſa viuunt, vt vermes muſcę, & ſimilia. At in his animalibus in qbus remanet ſenſati veſtigium, quod memoria dicitur, alia exoritur differētia, quia in quibuſdā ob talium viſorum conſeruationem, vniuerſale gignitur, quibuſdam vero non gignitur. ad vniuerſale ergo cognoſcendum, hic eſt ordo, primo loco ſenſu pcipimus ipſa ſingularia, quorum imagines, & ſimulacra, etiam ſenſibilibus extrinſecis abeuntibus in phantaſia conſeruantur, quæ cum præteritum repreſentent, memoriæ appellantur; ex multis memoriis poſtea, circa eandem rem, experimentum fit, ab experimento verò ſic genito, & pluries repetito, quod eſt vniuerſale ex multis memoriis adeptum, fit principium artis, & ſcientiæ: artis, ſi circa res occiduas & corruptibiles verſetur: ſcientię, ſi circa res æternas. Cum enim gratia exempli, Socrati bile laboranti exhibitum eſt reubarbarum, & purgata eſt bilis: Altero die Platoni, eodem humore laboranti; iterum reubarbarum exhibitum, iſtę actiones reſeruatæ, memoriæ appellantur, adeo, vt ex multis iſtis experimentum reſultet, ſic, vt ſi aliquis eadem bile laborauerit, audemus experiri, ex reubarbaro purgare ſtatim bilem; ex quo reſultabit vniuerſale illud, quod eſt principium artis, omne reubarbarum purgat bilem, hæc autem eſt differentia, inter principium ar-

vnumquodq;, & illud magis, intellectus ergo erit principiorum, & ipſe per inductionem acquiritur. hic eſt ergo modus cognoſcendi prima principia, & hic eſt habitus ipſorum.

NON DARI ALIVD INSTRVMENtum ſciendi, quod ad logicum pertineat, quàm demonſtratio & inductio. Cap. XVIII.

CVm de diſcurſiuis inſtrumentis, ad logicum tractare ſpectet, aliud non dari inſtrumentum præter demonſtrationem, & inductionem ſatis ex dictis conſtat; & iterum ex obſeruantia eorum, quæ Ariſt. de inſtrumentis ſciendi loquens, habet. Et primo obſerua eius ſententiam in primo poſteriorum, qui poſito vno inſtrumento ſciendi notiſsimo apud omnes, & erat per demonſtrationem cognoſcere, ſtatim ſubdebat, ſi eſt alius ſciēdi modus poſterius dicetur; & nos probauimus per alium ſciendi modum Ariſt. intelligere modum, quo prima principia cognoſcimus, hic autem eſt inductio, vt ſatis exacte probatum fuit, & ipſe clare aſſeruit in vltimo capite ſecundi poſteriorum ergo non eſt alius ſciendi modus quā demonſtratio, & inductio. Amplius, in ſecundo poſteriorum probans, definitione, non poſſe ſciri ipſum quod quid, dicebat, ſi per definitionem ſciretur, aut vt inducens, aut demonſtrans, ſed neutro modo, definitio facit ſcire quid, ergo nullo modo. Hæc ratio nō concluderet ſi daretur alter ſciendi modus, præter inductionem, & demonſtrationem, & hęc ratio habet maximam vim contra illos, qui tenent, definitionem eſſe aliud inſtrumentum ſciendi. Rurſus Ariſtoteles in primo poſteriorum aſſerit, deficiente ſenſu deficere ſcientiam, aſsignans huius rationem, dicebat, quia

Tex. 8. *Tex. 31.* *Tex. 134.*

quicquid ſcimus, vel ſylogiſmo, vel inductiōe ſcimus, vnde ſi deficiet ſenſus, & inductio deficiet quæ per viam ſenſus procedit, ſi inductio deficiat, cognitio primorum principiorum deficiet; quibus ignotis nō poſſumus ſcire concluſionem, cuius eſt ſcientia ergo deficiente ſenſu, deficit ſcientia, non datur ergo alter ſciendi modus, quàm inductio, & ſylogiſmus demonſtratiuus. Eandem ſententiam habuit in ſecundo priorum capite de inductione, vigeſimo ſexto, & quod nō ſit aliud inſtrumentum, quàm inductio, & ſylogiſmus, Auerroys tamquā à veritate coactus, in primo poſteriorum, textu primo, poſita ab Ariſtotele illa propoſitione, omnem doctrinam, & omnem diſciplinā: &c. dicebat ipſam à Philoſopho manifeſtari duplici inductione vna, facta in ſcientiis ſpeculatiuis, & altera in inſtrumentis; & diſcurrendo per omnia inſtrumenta, tantum fecit mentionem de ſylogiſmo, & inductione cætera enim ad hæc duo reducuntur, vt exemplum & enthimema; ſi daretur aliud inſtrumētum, vtiq; probatio illa fuiſſet diminuta, cum omiſiſſet probare in illo alio inſtrumento, & propterea Auerro. ſibi ipſi minimè conſtans, nolebat doctrinam definitiuā ingredi illam propoſitionem, cum alibi contrarium dicat & in eodem commento habet, definitionem non procedere ex noto ad ignotum, & propterea in ipſa, vult committi quandam petitionē principii, quæ omnia cum ſint inconſideratè dicta non eſt præſentis ſpeculationis ipſa deſtruere, ex dictis enim huc vſque apparet eorum falſitas, & qualiter ab Ariſtotele ipſa definitio non numeretur inter inſtrumenta ſciendi; nec valet illorum gloſa, quòd inductio, & ſyllogiſmus tantum ſint inſtrumenta diſcurſiua, cum detur forſan aliud inſtrumentum, quod non per diſcurſum

facit

facit ſcire,ſicuti eſt ipſa definitio: hoc autem nullius momenti eſt,quia vltra id,quod ſupra euidenter probatum fuit,definitionem nempe non eſſe inſtrumentum; pro vberiori tamen notitia dicendum, ad logicum non ſpectare,niſi de inſtrumentis diſcurſiuis:propterea enim appellatur facultas rationalis,cum ad ipſam ſpectet tractare de inſtrumentis,quibus ſcientiæ acquiruntur, vnde inſtrumentum dirigitur ad habitum,propterquod Philoſophus in ſexto ethicorum capite quarto,poſtquam diſtinxerat habitus, loquendo de inſtrumentis quibus acquiruntur,dicebat; hæc tantum eſſe,inductionem,& ſylogiſmum, & declarãs quid acquiritur per inductionem, quid per ſylogiſmum,dicebat,inductio eſt ipſius vniuerſalis à ſingularibus;ſylogiſmus autem vniuerſalis ab vniuerſali; cum ergo vnus quiſq; habitus,iſtis tantum inſtrumentis acquiratur,ad quid ergo aliud inſtrumentum? vanum enim eſſet aliud imaginari,& qui aliter ſentiunt, mentem Philoſophi ignorant.

RATIONIBVS, QVAE HVIC DOCTRInæ, de inſtrumentis ſciendi obſtare videntur ſatisfit. Cap. XVIIII.

VT habeamus completam doctrinam de inſtrumentis ſciendi; aliquibus rationibus ſatiſfacere conuenit, quæ dictis noſtris obſtare videntur, & primo; ſi per demonſtrationem accidens notificetur, nec eſt aliud inſtrumentum ſciendi quàm inductio,qua(vt dictum eſt) prima principia notificantur;ſubſtantia per quod inſtrumentum cognoſcetur? ignota ergo remaneret. Pro cuius ſolutione conſiderandum eſt,quod,vel loquimur de eo, quod ſubſtantiam ſignificat,vel de eo quod facit ſcire

hoc

pro principio, quod eſt immediata propoſitio inductione notificatur; principium enim hoc pacto acceptum, dicit eſſe vel non eſſe, ſed primo modo ſumptum nec eſſe, vel non eſſe dicit: ſed aliquis vlterius inſtabit, principia hæc demonſtrationis, non indigere inſtrumento vt notificentur, ex quo terminorum tantum declaratioue indigent. Vnde Ariſto. principia cognoſcimus, quo terminos cognoſcimus. Huic dicendum, ſe mentem Philoſophi non habere; ipſe enim clarè in vltimo capite ſecundi poſteriorum declarauit, inductione prima principia notificari, & quamuis aliqua principia, terminorum tantum declaratione innoteſcant, hæc dicuntur dignitates, quas neceſſe eſt quemlibet docendum habere, & iſtę non ingrediuntur demonſtrationem, niſi virtute, cum demonſtratio ex propriis rei principiis conſtare debeat, propria autem rei principia, quæ ſuppoſitiones dicuntur, nota debent eſſe nec alio modo, quàm inductione vt voluit Philoſophus in loco allegato, nec illa, auctoritas, ita nudè intelligi debet, principia ſcilicet cognoſcimus quo terminos cognoſcimus non enim intelligitur, tantum terminorum declaratione indigere, hoc enim à vero abeſt; ſi quidem non ſufficit, in cognitione propriorum principiorum demonſtrationis, terminorum declaratio; ſed hoc pacto debet intelligi, vt principia cognoſcamus, eo habitu, quo terminos ideſt definitiones cognoſcimus; ſic enim appellantur definitiones ab Ariſt. intellectus ergo eſt principiorum, & intellectus eſt definitionum; ſunt namque definitiones, principia demonſtrationis. Et ſi vlterius inſtabis, quo pacto inductio alius ſciendi modus poſſit eſſe, cum ipſa ex communi decreto non facit ſcire dicendum de mente Philoſophi inductio

tionem ipſam non generare ſcientiam ſed habitum, perfectiorem; intellectus enim per ipſam generatur qui cum ſit principium ſcientiæ, perfectior eſt quàm ſcientia; debemus enim eſſe melius diſpoſiti circa cognitionẽ principiorum, quàm circa cognitionem conclusionis, vnde Ariſto. primo poſteriorum, ſi propter quód vnumquodq;, & illud magis, principia debent eſſe notiora, & magis ſcita quàm concluſio, per ipſa enim concluſionem ſcimus: Verum, obſerua; quod res quæ cauſſam habent, nulla alia certiori via ſciri poſſunt, quàm per demonſtrationem, ſcire enim quorum demonſtratio eſt, eſt demonſtrationem habere; ſed rerum quæ cauſſa carent, ſicuti ſunt ipſa principia, non eſt ſcientia, ſed intellectus, & ſufficit inductione ipſa manifeſtari, quę notificatio dicitur euidentior cognitio, quàm ſcientia, & hæc eſt illa melior diſpoſitio; ſi quidem intellectus noſter hac via ipſa cognouit adiunctus ſenſui, vt voluit Philoſophus in vltimo capite ſecundi poſteriorum. & vbi ſenſus, & intellectus aliquod approbent, euidentius dicitur apprehendi, & ſic melior diſpoſitio fit circa principiorum cognitionem, in qua, & ſenſus, & intellectus ſimul concurrunt, in ſcientia autẽ tantum intellectus: vnde dicitur, dereliquere ſenſum propter rationẽ, eſſe intellectus imbecillitatem; eſt ergo inductio alius ſciendi modus, quia non per cauſſam facit ſcire, ſicuti demonſtratio, attamen generat cognitionem perfectam, cum meliorem diſpoſitionem producat, & ſic eſt ſciendi modus, & alius à demõſtratione, nec indignabor ſciendi modum ipſam appellare, cum in multis locis ſic eam Ariſtoteles nuncupauerit, & multoties repetierit, quicquid ſcitur vel ſylogiſmo, vel inductione ſciri. Nec te deterreat quod inductio to-

picum

picum potius inſtrumentum uideatur; cum huic ſatiſ faciat Auerroys in ſecundo priorum capite de induc tione vbi dicit duplicem eſſe inductionem, vna quę topica eſt, quæ propterea dicitur topica quia princi pia contingentia notificat & hęc debet per omnia ſin gularia diſcurrere, ut uniuerſale apprehendat & ſi im poſſibilis videatur hic diſcurſus per omnia ſingularia vtimur illa cautela, & ſic de ſingulis. Altera eſt indu ctio ab Auerroe appellata demonſtratiua, quia princi pia demonſtrationis notificat, & in hac quia diſcurri mus, per predicata per ſe, quæ de omni præſupponunt ſufficit, per vnum ſingulare tantum diſcurrere, in v no enim ſingulari, natura uniuerſalis delitescit, dici tur enim vniuerſalis, quia vna eadem in ſingulis eſt, ſicuti ſupradictum fuit, hæc eſt inductio, quæ ab Ari ſtotele alius ſciendi modus appellatur. Vltimo, pro complemento huius doctrinę videndum eſt, num præ miſſę inductionis quæ cum ſingulares ſint, ab intelle ctu cognoſcantur, vel a ſenſu tantum; ad quod dici mus ſingulare dupliciter conſiderari poſſe, vno pacto, vt incomplexus terminus, & ſic quo ad eius exiſten tiam, & hoc pacto ſenſu percipitur; Alio pacto, vt ve nit in compoſitionem, & diuiſionem reſpectu eius at tributorum, & hoc pacto ab intellectu percipitur, ve rum non vt linea recta, ſed reflexa idest, vt intellectus ad ſenſum reflectitur, ſic uolebat Philoſophus in ter tio de anima intellectum, ſenſitiuo, eſſe carnem co gnoſcere, & alibi loquens de intellectus operationi bus exemplificans de illa quæ ſtat in compoſitione, & diuiſione ſingularis exemplum aſſumpſit, vt Cleon fuit, vel erit albus: cum ergo præmiſſæ inductionis ſingulares ſint, verum in compoſitione poſitæ, ab in tellectu cognoſci aſſerendum eſt, ſed ſenſitiuo ipſas

Tex. 9.
Tex. 11.

apprehendere

ipſas apprehendere, & proter hoc per viam ſenſus principia cognoſci aſſerit Ariſtoteles; quam viam ignorantes antiqui, nil mirum ſi ſcientiam ſubſtulerunt. Laus Deo.

Regiſtrum.

* ** ABCDEFGHIKLMNO.

Omnes ſunt duerni, pręter ** O ſunt terni.

Imprimatur.

Lelius Seſſa Vicarius Gene. Neap.

Io. Franciſcus Lombardus.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

R BIBLIOTECA